DE AMAZONUM ANTIQUISSIMIS FIGURIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XIV M. MARTII A. MDCCCLXXXXI
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ARTHURUS DELORAINE COREY
MASSACHUSETTENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
M. POHL, STUD. PHIL.
GU. BUSCH, STUD. PHIL.
E. RICHTER, DR. PHIL.

BEROLINI, 1891.
HEINRICH & KEMKE.

PARENTIBUS DILECTISSIMIS

NEC NON

AVIAE CARISSIMAE

SACRUM.

Inter multas res quas ex fabulis antiquis haustas Graeci operibus arte factis inlustraverunt nulla fere saepius reperitur quam Amazonum cum Graecis pugnae. De monumentis quae feminas illas bellicosas exhibent cum alii viri docti nonnulla scripserunt, tum Kluegmannus:[1]) tamen cum antiquissima monumenta vel neglexerint, vel parum adcurate tractaverint, operae pretium videtur de operibus antiquissimae artis quae Amazonum figuras exhibent, monumentis adcuratius conlectis, denuo quaerere. Recipienda autem inter antiquissima monumenta — nam constat[2]) magnam apud artifices habuisse auctoritatem Miconem pictorem inlustrissimum, qui duas Amazonum pugnantium picturas Athenis pinxit, ita ut fere omnes qui hanc rem posterioribus temporibus inlustraverunt, alii plus, alii minus diligenter eum imitati esse videantur, id quod pictores vasorum figuris rubris ornatorum iam inde ab initio pulchri, quod dicitur, generis fecisse videmus — inter antiquissima igitur monumenta recipienda mihi visa sunt nulla nisi ea quae ante eorum aetatem facta sunt, id est, vasa atris figuris et rubris figuris severi generis ornata ceteraque opera quae ex eadem aetate servata sunt. Rationes ea ordinandi docet res ipsa, quas secuti primum de monumentis quae Herculis pugnam cum Amazonibus exhibent, deinde de Antiopae raptus picturis, tum de ceteris

1) Cf. praesertim Jahn, Annali dell' Instituto, 1864, p. 239 sqq.; Kluegmann, Ann. dell' Inst., 1867, p. 211 sqq.; 1874, p. 205 sqq.; 1876, p. 173 sqq.; Die Amazonen in der attischen Litteratur und Kunst, Stuttg. 1875; Petersen, Ann. dell' Inst., 1884, p. 269 sqq.; Roulez, Memorie dell' Inst., II, p. 393 sqq.; H. W. Schulz, Die Amazonenvase von Ruvo, Lips., 1851. Scripta de statuis ad illa simulacra Ephesia referendis nobis omittere licet.

2) Cf. Ann. dell' Inst., 1867, p. 211 sqq.

Amazonum picturis quae in vasis fictilibus reperiuntur, postremo de figuris quibusdam aereis disputabimus.

I.

Ac primum quidem fabulam satis notam de Herculis cum Amazonibus pugna artifices saepissime inlustraverunt. Opera quidem e lapide exsculpta fere nulla sunt ad illam aetatem referenda. Rem Olympiae in Jovis templi metopa fictam esse scimus;[1] sed cum ex ea metopa nihil nisi Amazonis caput repertum sit,[2] de figurarum compositione nihil certi dici potest. Neque praetereunda est parva figura nuper Athenis in arce inventa et ante bellum Persarum, ut videtur, facta, quam Kavvadias[3] pro Amazone habet. Tunica brevi et pelle vestita statum quasi sagittarii habet. Simul cum ea caput barbatum figurae eiusdem magnitudinis repertum est; quod nescio an ad idem opus referendum sit, in quo veri non dissimile videtur Herculis pugnam inlustratam fuisse, praesertim cum eodem mense alia ad Herculis athla pertinentia ibidem reperta sint.[4]

Praeterea Pausanias (V, 25,11) tradit Zanclaeum Euagoram Herculem cum Amazone equestri de cingulo pugnantem, opus Aristoclis Cydoniatis, Olympiae dedicavisse. Dicit idem figuras perantiquas esse, de aetate autem earum se nihil scire, nisi quod ante nomen Messanam oppido Zanclae datum consecratae esse videantur. Quod nomen oppido indidit Anaxilas, postquam Samios, qui anno 494 locum occupaverant, expulit; id autem circiter anno 490, ut videtur,[5] sine dubio ante annum 481[6]) fecit. At videtur illud sive Pausanias ipse sive auctor quem secutus est ex eo coniecisse, quod Euagoras in inscrip-

---

[1]) Paus. V, 10,9.

[2]) Ausgrabungen zu Olympia, IV, Tab. 13 A et pp. 12 et 28 sq.

[3]) *Δελτίον*, 1888, p. 82.

[4]) Mitteilungen des kais. deutsch. arch. Instituts, Athenische Abteilung, 1888, p. 107.

[5]) Cf, Thucyd. VI, 4,6, *οὐ πολλῷ ὕστερον ἐκβαλών*.

[6]) Cf. Stein ad Hdt. VII, 164.

tione votiva voce *Ζαγκλαῖος* usus erat, quasi nemo post nomen oppidi mutatum vocem Zancles usurpaverit. Quod plane falsum est; nam in populi sermone, maxime gentium indigenarum, nomen Zancles diutius permansisse verisimile est. Itaque cum equestrem Amazonem contra Herculem pugnantem quinti saeculi initio factam esse vix credibile sit, veri non dissimilis videtur coniectura figuras illas posteriore aetate, fortasse media quinti saeculi parte, confectas esse.

Venio nunc ad fictilia in quibus illa pugna depicta est. Ex iis neque Corinthia, quantum scio, neque ea quae e litterarum inscriptarum formis Chalcidica esse scimus rem exhibent. Sed in amphora Lond. B 55,[1]) quae videtur esse Chalcidica,[2]) quamvis id pro certo, inscriptionibus deficientibus, adfirmare non velim, proelium depictum reperimus. In ea pictura Hercules tunica brevi et leonis pelle vestitus et ad dextram versus gladium destrictum dextra manu, sinistra cassidem Amazonis comprehensam tenet. Ea ad sinistram versa in genu dextrum cadit, tunica rubra, cingulo atro, casside alta crista ornata, parma, hasta instructa. Post Herculem miles ad sinistram versus hastam intendit, quamquam hostis non adest. In dextra picturae parte alter miles ad dextram versus alteri Amazoni sub vasis ansa positae hastam intentat. Quae genu dextro nixa et ad sinistram versa, tunica rubra, casside humili crista praedita, una ocrea, parma, hasta munita est.

Praeterea nescio an hydria mutila Urbibenti reperta[3]) hoc loco conmemoranda sit; quae picturam exhibet hanc: Hercules ad dextram versus cassidem Amazonis sinistra manu tenet, et gladio iugulum eius perfodit. Ea genu sinistro nixa et hoplitae

---

[1]) Vasa Londinii in Museo Britannico servata notavi numeris nunc in museo usitatis; iis quae in catalogo descripta sunt veteres numeros adieci. Gratias magnas Murray viro doctissimo ago, qui me cum Londinii morantem benigne adiuvavit, tum postea per litteras de nonnullis vasis interrogantem.

[2]) Ita Furtwaengler (Roscher, Lexikon der griech. u. röm. Mythologie, I. p. 2202). In utroque colli latere sunt duo oculi.

[3]) Bulletino dell' Inst., 1879, p. 228 sq.

armaturam gerens hasta se defendere conatur. Post Herculem miles et altera Amazon hastis pugnant. Post primam Amazonem sunt figurae quae omnes Helbigio viriles esse, mihi potius ad pugnam militum et Amazonum referendae videntur. Una adversarium genu sinistro nixum, cuius facies adversa depicta est, hasta invadit. Sequitur figura humi iacens, deinde altera quae scuto tecta impetum exspectat hostis, qui scutum ante caput tenens gladium vibrat, postremo figurae cadentis, cuius facies etiam adversa depicta est, et adversarii qui eum hasta perfodit. Pictura vasis utrumque latus ornavisse videtur, quod praeterea altero figurarum ordine Gorgonem, iuvenes in equis alatis sedentes, animalia exhibente ornatum est. Qui ornatus ab Attica consuetudine hydriarum partes non nisi frontes picturis ornandi abhorret; atque cum et Gorgonis et duorum pugnantium facies adversae descriptae sint, et inter animalium figuras leo caput retorquens adpareat, quae res cum Chalcidica pingendi ratione maxime congruunt, veri non dissimile videtur vas Chalcidicum esse; sed cum vas non viderim, mihi nihil pro certo dicere licet.

Attica vasa animalium figurarum ordinibus ornata conplura sunt, quae pugnam Herculis et Amazonum praebent. Primum est amphora Florentina[1]) multis figuris decorata. In media pictura Hercules ad dextram contendens, tunica brevi et pelle, quae caput non tegit, munitus, dextra gladium tenet, et sinistra Amazonem capessit, quae ante eum fugiens respicit. Prope eos miles humi stratus iacet. Sequitur miles ad dextram versus, hasta in Amazonem alteram intenta; quae etiam fugiens respicit, et hasta se defendit. Deinde miles ad dextram versus contra adversam Amazonem pugnat; prope eos iacet miles humi stratus. Tum miles Amazonem ad dextram insequitur,

---

[1]) Inghirami, Pitture di vasi fittili, IV, tabb. 301, 303—307, praesertim 304; Heydemann, Mitteilungen aus den Antikensammlungen in Ober- und Mittelitalien, p. 87, no. 20; cf. Ann. dell' Inst., 1874, p. 105, n.; Mitteilungen des kais. deutsch. arch. Instituts, römische Abteilung, 1887, p. 177, n. Vas atticum esse videtur, nisi forte in provinciali fabrica Graeca factum est, ubi pictores Attica opera imitabantur.

quae hasta intenta respicit. In extrema pictura sunt oppidi moenia portaque, super quam duae Amazones videntur. In alia picturae parte miles post Herculem ad sinistram versus cum Amazone adversa pugnat. Sequitur par simile dimicantium, prope quod miles mortuus iacet. Deinde miles ad sinistram versus Amazonis cassidem prehensam tenet; ea ad dextram versa in genu cadit, et caput avertens dextram manum tollit. Post eam sunt alia moenia, super quae duae Amazones adparent. Tum Amazon ad sinistram versa, cui miles hastam intendit, Amazonem vulneratam vel mortuam defendit. Postremo miles, cui praeter hoplitae armaturam pictor arcum dare voluisse videtur, quem tamen manu non tenet, dextrorsum currit. Amazones omnes Graecorum militum in modum sine bracis Scythicis (ἀναξυρίδες) instructae sunt, et cassides cristis altis ornatas gerunt.

Sequitur amphora Berol. 1710[1]). In media pictura Hercules brevem tunicam leonisque pellem, quae caput non tegit, indutus et dextra manu gladium destrictum tenens Amazonem fugientem ad dextram persequitur, sinistra prehensurus. Ea brevi tunica, ocreis, parma, casside alta crista decorata, hasta munita est. In dextra picturae parte miles humi iacet, iuxta quem alter miles Amazonem alteram hasta premit, quae ad dextram currens et in genu cadens caput convertit, et manum dextram tollit. Ea tunicam brevem, parmam, cassidem alta crista praeditam habet. Post Herculem tertia Amazon ad sinistram versa et tunica, ocreis, parma, casside humiliore crista ornata, gladio munita militem hasta petit, qui caput ad sinistram retorquens in genua cadit.

Similem picturam habet amphora olim Campanae 1075, nunc in museo Parisino.[2]) Hercules tunicam brevem et leonis pellem indutus, capite nudo, Amazonem gladio percussurus est,

---

1) Micali, Storia degli antichi popoli Italiani, tab. 83 et vol. III, p. 138.

2) Vasa collectionis Campanae quae ad classes IV—VII pertinent sine classium numeris collaudavi. Gratias hoc loco Pottiero viro doctissimo ago, qui me vasis Parisinis operam dantem benigne adiuvavit.

quam circa humerum, nescio an balteo, prehendit. Ea tunica brevi, ocreis, thorace, ut videtur, balteo, casside sine crista, parma praedita ante eum ad dextram currit, et respiciens telo parum claro Herculem petere videtur. Deinde miles hastam in alteram Amazonem intendit, quae ad dextram currens respicit, dextramque manum ad hostem extendit; ea etiam hoplitis armatura munita est. Post Herculem alter miles ad sinistram versus de milite humi iacente cum Amazone ad dextram versa dimicat; quae tunica brevi, ocreis, thorace, ut videtur, casside humili crista ornata, gladio, parma, hasta instructa est.

Altera amphora eiusdem generis est vas Campanae 1071, nunc in museo Parisino.[1]) Hercules tunica brevi et leonis pelle, quae caput tegit, vestitus et ad dextram versus manu sinistra cristam tenet Amazonis, quam gladio dextra sublato percussurus est; pedem sinistram in talum eius ponit. Ea ad dextram versa genuque dextro nixa respicit, et hasta (?) se defendere conatur; hoplitae armatura munita est. Sequitur miles ad dextram versus, qui hasta in alteram Amazonem intendit; ea bracis, veste manicata, casside alta crista decorata, pharetra instructa et genu sinistro nixa sagittam ad sinistram mittit. Cuius figurae vestitus Scythicus in tam antiqua pictura suspicionem movere potest; at ego testis sum eam non refectam esse. In sinistra picturae parte post Herculem Amazon genibus nixa et ad dextram versa respicit, et hastam militi intentat, qui eam a tergo hasta invadit; Graecorum armaturam habet. Inscriptiones sensu carentes prope figuras sunt.

Similem picturam videmus in amphora Campanae 1099, nunc in museo Parisino.[1]) Hercules tunica et leonis pelle, quae caput tegit, vestitus et ad dextram versus cristam Amazonis sinistra manu comprehendit, gladio sublato eam transfixurus. Ea tunica brevi, ocreis, casside alta crista ornata, unde crines longi dependent, scuto, hasta praedita est; genu

---

[1]) Dumont et Chaplain, Les Céramiques de la Grèce propre, I, p. 333 sq.

dextro nixa et ad dextram versa ad Herculem respicit. Post eam miles ad dextram versus hastam figurae intendit ad sinistram versae, quae tunica brevi, ocreis, casside humiliore crista praedita et, id quod in Amazonum figuris rarum, sed non inauditum est, genas tegente, postremo parma munita hastam item intentat. Quae figura Amazon esse videtur, quamquam mentum tam acutum est, ut barbatum videri possit.[1]) Post Herculem tertia Amazon hoplitae armatura instructa genibus ad dextram versa nititur, et caput retorquens dextram manum in tergum porrigit. Cui miles a tergo hastam intendit. Praeter nomen Herculis duae inscriptiones sensu carentes sunt.

Praeterea conmemoranda est amphora quam apud Basseggium Gerhardus vidit.[2]) Inter alia pugna Herculis et Amazonum in ea depicta fuisse videtur; sed ita refectum est vas, ut fere nihil aut de figurarum compositione aut de singulis figuris dici possit. Ut alia praetermittam, amphoram refectam esse satis docent militis barbati alba crura, bracae sagittarii mirum in modum depictae, vestis habitusque Amazonis post Herculem genibus nixae, postremo lineamentorum conformatio, maxime oris militis in dextra picturae parte positi. Etiam id suspiciosum est, quod viri Amazonibus opem ferunt.[3])

Alia amphora olim Campanae 1092, nunc in Museo Parisino, quamvis animalium figuris non ornata, fere eiusdem

---

[1]) Pottier apud Dumont et Chaplain, l. l., figuram virilem esse putat.

[2]) Gerhard, Auserlesene Vasenbilder, II, tabb. 95—96. Erravit Gerhardus figuram principalem Thesea esse dicens (ibid., p. 45). Viri docti satis multa de origine huius vasis disputaverunt; cf. Jahn, Vasensammlung König Ludwigs, p. CXLVIII, n. 1058; Klein, Euphronios, p. 65; Jahrbuch des kais. deutsch. arch. Instituts, 1886, p. 87 sqq.; Dumont et Chaplain, Les Céramiques de la Grèce propre, I, p. 281, n. 2; Roscher, Lexikon der griech. und röm. Mythologie, I, p. 2198 (Furtwaengler). Melius quaesivissent, quae partis re vera antiquae essent.

[3]) De patera rubris figuris ornata, quam etiam apud Basseggium visam Gerhardus viros Amazonum socios exhibere dicit (l. l., p. 45, n. 30), nihil scio; fortasse et ea refecta erat.

aetatis est. Picturae in duobus lateribus depictae in unam coniungendae esse videntur. Hercules tunicam brevem et leonis pellem, quae caput non tegit, indutus et ad dextram versus Amazonis cassidem sinistra, dextra gladium sublatum tenet. Ea genibus nixa et ad sinistram versa hasta se defendit. Deinde miles cum Amazone ad sinistram versa genuque nixa hasta pugnat. Post Herculem tertiam Amazonem ad sinistram versam et genu nixam hasta interficit miles, qui ad dextram versus cassidem eius sinistra tenet. In alterius lateris media parte Amazon ad dextram versa hastam in militem barbatum intendit, qui ad sinistram versus et genu nixus hasta se defendit. In dextra parte hoplites Amazonem invadit, casside eius prehensa. Ea in genua cadit, neque se defendere conatur. In altera parte Amazon ad sinistram versa humum lapsa est, genu sinistro sursum curvato; bracchio sinistro, quo parmam gerit, nixa manum sinistram militis barbati dextra capit, qui ad dextram versus cassidem eius sinistra tenet, dextraque hastam intentat. Amazones omnes Graecum in modum instructae sunt.

Hoc loco etiam conmemoranda est amphora Tarquinii reperta [1]). In media pictura Hercules (inscriptione significatus) tunica brevi et leonis pelle, quae caput non tegit, vestitus et ad dextram versus gladium destrictum Andromachae (inscriptione significatae) intentat, cuius crines nescio an prehendat. Ea ad sinistram versa et hoplitae armatura munita humum cadit, sed tamen se defendere conatur, capite dextrorsum averso. In dextra picturae parte Telamon (inscriptione significatus) cassidem Amazonis ad dextram fugientis (inscr. *LAVKE* pro *ΓLAVKE* posita) tenet, cui gladium in pectus infigit. Ea Gracorum in modum, quamvis sine thorace, ut videtur, armata ad dextram currit, et caput in sinistram convertit. Post Herculem Iphito

---

[1]) Monumenti dell' Instituto, XII, tab. 9; Ann. dell' Inst., 1884, p. 269 sqq.; Bull. dell' Inst., 1884, p. 124. Videtur errare Helbigius picturam omnium antiquissimam esse dicens, quae hanc pugnam inlustrant; nam animalium figuris, quae certissimae antiquitatis notae sunt, amphora caret.

Amazon ad sinistram versa militem humi iacentem hasta interficit. Vestita est tunica sine ulla armatura; crines eius longi in nodum religati dependent. Memoratu digna est oculi forma militis, qua mors imminens optime exprimitur. Et Hercules et Glauce armillam in dextro bracchio gerit.

Neque solum in amphoris rem inlustratam reperimus. Memoratu maxime digna est pictura in dini labro olim Campanae II, 27, nunc in museo Parisino servata[1]). In media pictura Hercules (inscr. signific.) tunica et leonis pelle, quae caput non tegit, vestitus et ad dextram contendens Amazonem (*ΔΡΟΜΑ≷*) comprehendit, gladio eam percussurus. Ea ad sinistram versa et genu nixa hasta se defendit. Post eam duae Amazones ad sinistram versae auxilium ferunt, hastis Herculi intentis. Post alteram earum litterae *ΦΚΠΟΣ*, nisi forte *ΟΚΠΟΣ* legendum est, scriptae sunt. Sequitur Lycos (*ΛΥϘΟ≶*), qui ad dextram versus hastam Amazoni adversae (*ΑΛΑΚΕ*) intendit, quae etiam hasta dimicat. Inter eos iacet cadaver sivi viri, sive, ut Pottiero[2]) videtur, Amazonis. Deinde Phorax (*ΦΟΡΑΧ≶*, nisi forte littera prima ϙ est) ad dextram versus contra Amazonem adversam pugnat; ea in casside pro crista duas pennas habet. Nomen Callie (*ΚΑLLΙΕ*) aut ad hanc aut ad sequentem figuram pertinet. Sequuntur duae Amazones tunicis, cassidibus, pharetris instructae, quae genibus nixae sagittas mittunt. Deinde Amazon ad dextram in virum currit, qui pronus iacens caput retorquet; prope figuras inscripta sunt nomen *ΚΕΠΕΣ* ad virum referendum et alterum mutilum. Militi illi Mnesarchos (*ΜΝΕΣΑΡΧΟ≶*) auxilium fert. Post eum Cleptoleme (*ΚΛΕΠΤΟLΕΜΕ*) ad dextram versa, cuius cassis nulla vel fere nulla crista ornata est, cum viro (*ΔΕΙΠΤΕ≶*) de cadavere pugnat. Sequitur Telamon (*ΤΕLΑΜΟΝ*) ad dextram versus, qui Amazonem cadentem cervicibus tenet, et eam hasta perfodit. Ea caput ad sinistram vertit, scuto, quod bracchio sinistro tenet, nixa; tunica et mitra vestita est. Altera Amazon

---

[1]) Dumont et Chaplain, Les Céramiques de la Grèce propre, I, p. 335 sqq. Inscriptiones nonnullas mutilas omisi.

[2]) Apud Dumont et Chaplain, l. l.

(*ΣΟΣΞΛΞ*; casus genitivus vocis in *ώ* exeuntis, fortasse *Ἡγησώ*?) ad sinistram versa eam protegere conatur. Sequuntur sagittarius barbatus, qui genibus nixus sagittam ad dextram mittit, et miles (*ΔΕΙΠΟΛΕΘΕΣ*), qui hastam etiam ad dextram emittit. Deinde Toxophile (*ΤΟΣΧΟΦLE*) ad dextram currens hastam intendit; mitra quam gerit, Pottiero teste [1]), refectori debetur; sed parum recte figuram Amazonem esse vir ille doctus negare videtur. Ante eam Amazon ad dextram versa, capite ad sinistram retorto, humi iacet, scuto nixa et gladium magnum tenens; cassis eius duabus cristis altis ornata est. Quam miles ad sinistram versus gladio percussurus est. Alia Amazon (*ΣΑΙϘΔΞΜ* [2]); in genitivo casu?) sinistrorsum currens, hasta intenta, auxilium amicae fert; mitrata est, nisi forte mitra refectori debetur. Prope eam figura sive viri sive Amazonis genu dextro nixa et tunica brevi, mitra, pharetra, *ἐπισφυρίοις* instructa ad dextram sagittam mittit. Sequitur par figurarum, quae ad dextram versae pugnant. Videntur quidem viri esse; sed cum contra viros pugnent, Amazones hoc loco postulantur. Itaque, praesertim cum e nominibus *ΑΝΤΕΡΕΑΣ* et *ΕVΦΟΡΒΟΣ* alterum a refectore scriptum esse Pottierus putet, verisimile videtur figuras aliquid refectas esse. Contra eas pugnant duo milites et sagittarius barbatus. Deinde miles ad dextram currens Amazonem (*ΙΙΙΣΤΟ*, nisi forte e nominis fine littera periit) prehendit, quae ante eum currens humum cadit, et respiciens se gladio defendere conatur. Cui duae Amazones ad sinistram versae opem ferunt; una earum nomen *LEON* habet [3]). Sequitur Herculis figura. Amazones de quarum armatura nihil dixi, hoplitarum in modum instructae sunt; nonnullae collaria gerunt. Mira est in tam antiquo vase litterae *σ* forma *Σ* [4]).

---

[1]) Apud Dumont et Chaplain, l. l.

[2]) Ita Pottierus; ego *Μεδασας* vidisse videor.

[3]) Nomen ad Amazonem referendum videtur; nam viri figura hoc loco vix intelligi potest. *Λεών* pro *λέαινα* in Hom. Il. *P* 133, *Φ* 483 reperitur; et forma masculina Amazonis indoli apta est.

[4]) Cf. hydriam apud Heydemann, Griechische Vasenbilder, p. 14, et lapidem Athenis repertum, *Ἐφημ. ἀρχ.*, 1886, p. 81, no. 5 et tab. VI, no. 5.

Res etiam depicta est in pede tripodis Berol. 3988[1]). Hercules tunica et leonis pelle, quae caput tegit, praeditus et ad dextram contendens Amazonis fugientis cassidem comprehensam tenet, gladio eam trucidaturus. Ea Graecum in modum vestita respicit, et hastam intendit. In utraque parte stant spectatores, hic invenis et mulier, illic vir barbatus et mulier.

Nec praetereunda est pictura in interiore paterae parte Neapol. 2454[2]) Hercules, genu incurvato, tunicam et leonis pellem indutus gladio Amazonis, quam comprehendit, pectus perfodit. Ea tunica brevi, casside, scuto, hasta instructa ante eum currens respicit. Pictor mammam eius dextram describere voluisse videtur.

Postremo conmemoranda est pictura in interiore paterae parte Virceburgensis 180, quamquam non certum videtur, utrum pictor Amazonem an Cycnum depingere voluerit[3]). Hercules tunica et leonis pelle, quae caput non tegit, vestitus et ad dextram versus, genu, ut spatii forma postulat, incurvato, dextra manu iaculum, unde sanguis defluit, intentat, sinistra cassidem hostis tenet, cuius ad sinistram versi genu item incurvatum est. Is tunicam brevem cum ἀποπτύγματι, ut Graeca voce utar, pellem, ut videtur, cassidem duabus cristis ornatam, hastam, scutum habet. Quam figuram ego quidem oculi forma et illa veste adductus feminam esse credo. Neque id inauditum est, quod Hercules contra Amazonem pugnans hasta utitur; nam idem in vase olim Campanae 931[4]) reperitur.

Antiquissima vasa quae pugnam Herculis et Amazonum exhibent omnia, quantum scio, enumeravi. Sequuntur permulta quae ad posterius vasorum atris figuris ornatorum genus referenda

---

[1]) Furtwaengler, Sammlung Sabouroff, tabb. 49 et 50,1.

[2]) Graphis in bibliotheca musei Berol., XXIII, 6.

[3]) Micali, Storia degli antichi popoli Italiani, tab. 87,2 et vol. III, p. 150; Campanari, Antichi vasi dipinti delle collezione Feoli, no. 84; Gerhard, Auserles. Vasenb., II, p. 66, n. 54. Urlichsius in catalogo Virceb. dicit vas refectum esse.

[4]) Vide infra, p. 13.

sunt; quibus accedunt nonnulla rubris figuris severi, quod dicitur, generis decorata. In his picturis, ut in antiquissimis, Amazones hoplitarum armatura plerumque munita sunt, quamquam haud raro, ut in picturis supra descriptis, nonnulla quae ad eam pertinent, in primis thorax, omittuntur. Praeterea chlamydem parvam, ut alibi hoplitae, saepe gerunt. Cassis earum in vasis nigris figuris ornatis fere semper alta crista decorata est; contra in vasis rufis figuris ornatis crista plerumque humilior est. Sed praeter figuras eo modo armatas saepe reperiuntur Amazones habitum Scythicum sive totam sive partim indutae. Nostra in enumeratione satis erit Scythicas vestes et alia insolita quae in picturis Amazones gerunt, velut pelles, conmemorare[1]).

Quod ad figurarum compositionem adtinet, in antiquissimis vasis latera lineis ita divisa vidimus, ut spatia facta sint, quorum longitudo multo maior sit quam latitudo; contra in amphoris et lecythis posterioris aetatis picturae spatium occupant, cuius longitudo latitudine vel non multo maior vel etiam minor est, in quo spatio multae figurae depingi non potuerunt. Itaque in multis picturis Hercules sine sociis contra Amazones pugnat. Sed multis in vasis cum duae figurae Herculis et Amazonis spatium non inplevissent, aliae figurae plerumque secundum rationes in virorum pugnis depingendis usitatas adpositae sunt[2]).

His igitur praemissis, ad vasa atris figuris posterioris generis decorata venimus. Quae in multas classes distribuenda sunt.

I. Primae classis sunt picturae quae Herculem et unam Amazonem exhibent. Ut in vasis supra conmemoratis, Hercules tunica et leonis pelle vestitus et ad dextram contendens gladio aut, id quod posterioris aetatis nota est, clava[3]), raro hasta Amazonem interfecturus est, quam saepe prehensam tenet.

---

[1]) Si nihil de armatura vesteque dixi, Graeca est, quamvis singulis rebus, velut thorace, saepe omissis.

[2]) De eis rationibus disputavit P. J. Meier in Mus. Rhen., XXXVII, p. 343 sqq.

[3]) Cf. Ann. dell' Inst., 1884, p. 270. Sublatum gladium Herculem etiam

Ea in aliis vasis ad dextram currit, vel currens humum labitur[1]), et caput saepe retrorsum convertit; in aliis ad sinistram versa, et uno vel duobus genibus nixa, aut iam supina cadens mortem viribus fractis exspectat[2]). Quam picturam vasa exhibent haec:

Amphorae: Campanae 931[3]), nunc in museo Parisino: Hercules hasta pugnat, et scutum fert.

Durandi 288.

Videtur etiam amphora Panckouckii 71 pugnam cum Amazone exhibere[4]): Hercules clava munitus est.

Praeterea fortasse vir, qui in amphora Petropol. 125 tunica et pelle vestitus hasta Amazonem invadit, Hercules est.

Hydria Tarquiniis reperta[5]).

Oenochoae: Fontanae[6]): clavam tenet Hercules.

Monac. 1192; 1197.

Ravesteini 199: Amazon dicitur peltam habere; sed fortasse scutum Boeotium est[7]).

Olpa olim Castellani[8]).

Lecythus Monac. 80.

Cyathi: Fontanae[9]): Hercules gladium e vagina educit.

Londin. B 418 (664)[10]): Hercules tunica et thorace sine pelle vestitus clava pugnat.

---

in antiquissimis vasis tenere ex eis quae supra vidimus adparet. Ubi nihil de Herculis armis dixi, gladium habet.

[1]) Multis in picturis difficile est dictu, utrum hoc an illud pictor voluerit.

[2]) Figurae in aliis pugnarum picturis similiter positae sunt; cf. P. J. Meier, l. l., p. 343 et p. 344, n. 1.

[3]) Klein, Griech. Vasen mit Lieblingsinschr., p. 19.

[4]) Cf. tabulam catalogo additam, no. 48.

[5]) Bull. dell' Inst., 1885, p. 218.

[6]) Archaeologisch-epigraphische Mitteilungen aus Oesterreich, II, p. 27, no. 26.

[7]) Quod ex illis „ce bouclier à échancrure demicirculaire“ conicere licet.

[8]) Bull. dell' Inst., 1869, p. 250.

[9]) Arch.-epigr. Mitteil. aus Oesterreich, II, p. 26, no. 25.

[10]) Durandi 289.

Neapol. 2465: Hercules tunicam sine pelle (?) indutus clavam tenet. Amazon mitrata est.

Paterae (in exteriore parte): Athen. 217, in utroque latere: Hercules clavam tenet.

Durandi 283, in utroque latere: Hercules clava pugnat.

Monac. 1317: de altero latere cf. infra, p. 70.

Neapol. Sanct. Angel. 147, 152, in utroque latere: Hercules clavam tenet.

Vaticana a Pamphaio facta[1]).

II. Figuris Herculis et Amazonis accedit altera Amazon, quae ad sinistram versa inter eas humi iacet, et cubito sinistro nixa caput ad dextram convertit.

Amphora Campanae 1086, nunc Parisiis: Hercules clavam tenet.

III. Figuris Herculis et Amazonis additur altera Amazon, quae, hasta in Herculem intenta, a dextra parte amicam protectura adcurrit.

Amphorae: Berol. 1848[2]): Prima Amazon pellem super tunicam habet. Inter Amazones scriptum est *Ἀνδρομάχης*. Juvenis nomen *Ὀνήτωρ* vas, si non ab ipso Execia, tamen eius aetate factum esse docet.

Monac. 615; 621.

Neapol. 2750.

Suessulana[3]): de pictura in altero latere vide infra, p. 62.

Praeterea ad hanc classem referenda videtur amphora Durandi 291[4]).

Olpa Londin. B. 443: Hercules clavam habet.

Alabaster olim Candelorii[5]) et lecythus Panckouckii 72, nunc

---

[1]) Mus. Gregorian., II, tab. 66,4; Panofka, der Vasenbildner Panphaios, tab. 1,4; Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 90, no. 5.

[2]) Gerhard, Etruskische u. Campanische Vasenbilder, tab. 17,2 et p. 27; Rapporto Volcenti, p. 151, no. 374; Panofka, Eigennamen mit *καλός*, p. 64; Klein, Griechische Vasen mit Meistersignaturen, p. 42, no. 3; Klein, Griech. Vasen mit Lieblingsinschriften, p. 18.

[3]) Mitteilung. d. arch. Inst., röm. Abteil., 1887, p. 260.

[4]) Collectionis Paravey 14.

[5]) Mon. dell' Inst., I, tab. 26, no. 21; Ann. dell' Inst., 1831, p. 240.

Bononiae Francogallorum[1]), quae Herculem clava pugnantem praebet, similes picturas habere videntur.

IV. Figuris Herculis et Amazonis primae accedit altera Amazon, quae post Herculem a sinistra parte auxilio venit.

Amphora Panckouckii 73[2]): figuras Amazones esse, id quod ego suspicabar, dicit Kleinius in libello nuper edito.

Oenochoae: Thorvaldseni 42.

Parisina, in museo publico: Amazones humiliores cristas habent.

V. Figuris duabus illis additur in utraque parte Amazon opem ferens.

Amphorae: Carlsruhana 160.[3])

Fouldii 1381[4]) in utroque latere: in una pictura Hercules clava armatus est.

Monac. 606, in utroque latere.

Lecythi: Athen. 262, 351, 352 (?)[5]): in prioribus Hercules clavam habet; num et in tertia eam habeat, non satis clarum adparet.

Londin. B 611.

VI. Figuris quintae classis propriis accedit quarta Amazon quae e pugna se ad dextram recipiens respicit.

Lecythus Londin. C 26 (614)[6]): quarta Amazon bracis, veste stricta, mitra, pharetra, arcu aetatis recentis instructa est.

VII. Figuris Herculis et primae Amazonis additur altera Amazon, quae post Herculem ad sinistram abiens respicit; nonnumquam Herculem hasta percutere conatur.

---

[1]) Archaeologischer Anzeiger, 1889, p. 185.

[2]) Nunc Bononiae Francogallorum servata, cf. Arch. Anzeiger, 1889, p. 185; Klein, Die griech. Vasen mit Lieblingsinschriften, p. 18.

[3]) Arch. Anzeiger, 1851, p. 33, no. 4.

[4]) Chabouillet, Description des antiquités de M. Louis Fould, Par., 1861.

[5]) Ex his vasis unum in Arch. Anzeiger, 1861, p. 200, no. 15 descriptum est; quam descriptionem Collignon in catalogo vasorum Atheniensium parum recte ad Athen. 263 (vide infra, X.) refert.

[6]) In catalogo figura post Herculem posita falso Iolaus nominatur.

Olpa Monac. 681 [1]).

Lecythus olim Ameliae Graecorum reginae [2]): Hercules clava pugnat.

VIII. Figuris tribus quas in classe tertia repperimus accedit tertia Amazon, quae, ut in septima classe, e pugna se recipit.

Amphorae: Berol. 1849: Hercules clava pugnat; tertia Amazon tunica, mitra, pharetra instructa est.

Depolettii [3]): Hercules clavam habet.

Durandi 286 [4]): Hercules clava, tertia Amazon mitra Scythica, arcu, pharetra instructa est.

Londin. B 152 (547) [5]): Hercules clava munitus est; altera Amazon armillam gerit, et tertia mitrata est.

Londin B. 156 (544) [6]): prima et tertia Amazon pelles super thoraces habent.

Londin. B 163 (543) [7]): pictura eo a ceteris paulum differt, quod prima Amazon, casside humili crista ornata, supina cadit; cuius nulla ratione habita, Hercules alteram invadit. Tertia Amazon mitrata et pharetra praedita est.

Monac. 1219 [8]): Hercules clava, tertia Amazon mitra instructa est.

Tarquiniensis [9]): tertia Amazon veste Scythica et pharetra instructa dextra manu hastam, sinistra arcum tenet. De altero latere vide infra, p. 76.

---

[1]) Lau, die griech. Vasen, tab. 15,3.

[2]) Bull. dell' Inst., 1841, p. 86.

[3]) Graphis in bibliotheca musei Berol., XII, 138.

[4]) Panckouckii 409.

[5]) Durandi 290.

[6]) Élite céramographique, I, tab. 61; De Witte, Description d'une collection de vases peints et bronzes antiques provenant des fouilles de l'Etrurie, Par., 1837, no. 6.

[7]) De Witte, l. l., no. 79.

[8]) Graphis in bibliotheca musei Berol., XII, 13b.

[9]) Bull. dell' Inst., 1877, p: 60.

Tarquiniensis altera[1]): tertia Amazon mitram Scythicam et pharetram habet.

Virceburgensis 94[2]); 119.

Etiam ad hanc classem referenda videtur amphora Bononiensis[3]), in qua Hercules clava pugnat; praeterea amphora olim principis Napoleonis[4]), quae similem picturam in utroque latere exhibet, Hercule in altero clava, in altero gladio armato; et amphora Tarquiniis reperta[5]). Et nescio an amphora Monac. 425 hoc loco conmemoranda sit, quamquam Amazonem fugientem post Herculem positam esse e descriptione parum certum videtur; in ea tertia Amazon mitra, pharetra, securi instructa est. Postremo amphoram Campanae 213[6]) Amazonum pugnam praebere veri simile est, quamquam Campana figuras pro viris habuit; Hercules clava pugnat contra duos hostes, quorum alter humum cadit; tertia figura sagittarii in modum armata e pugna se recipit.

Sequuntur vasa aliarum formarum, quae ad hanc classem pertinent:

Hydria Londin. B 108 (630)[7]): altera Amazon pelle super thoracem, tertia mitra et pharetra praedita est. Quod de Wittius et catalogi auctor musei Britannici primam Amazonem peltam habere dicunt, id dubium mihi videtur; puto enim id quod tenet parmam rotundam esse a latere visam.

Oenochoa Ravesteini 198: Hercules clava munitus est. Altera Amazon, quae mitrata est, hastam in Herculem, ut

---

[1]) Bull. dell' Inst., 1884, p. 118.

[2]) Campanari, Antichi vasi dipinti della collezione Feoli, no. 83.

[3]) Comparetti, Museo Italiano di antichità classica, II, p. 17, no. 58; de altero eius latere vide infra, p. 75.

[4]) Fröhner, Catalogue d'une collection d'antiquités, Par., 1868, no. 34; (De Witte), Notice sur les vases peints et à reliefs du Musée Nap. III, p. 21, no. 165.

[5]) Bull. dell' Inst., 1859, p. 132.

[6]) In museo Parisino vas reperire non potui.

[7]) De Witte, l. l., no. 80.

solet, non intendit, sed Amazonem primam bracchio prehendit, et eam e pugna trahere conatur.[1])

Lecythi: Berol. 2008: Hercules clavam vibrat; Amazonum altera mitrata videtur.

Berol. 2024: Hercules clava munitus est.

Durandi 287, nunc in museo Parisino: Hercules habet clavam albam.

Fauvelii[2]): Hercules clava instructus est.

Londin. C 36: Hercules hic quoque clavam tenet.

Parisina in Graecia reperta: tertia Amazon cristam humiliorem habet.

Videtur etiam lecythus esse vasculum mutilum olim Millingeni[3]): Hercules clava instructus est; Amazonum vestes partim refectae s unt.

Praeterea nescio an lecythus sit vas olim Neapolitanum[4]), cuius figurae suspitiosae videntur: Hercules clava armatus barba caret; duae Amazones mitratae sunt, tertiaque cassidem mirae formae, pannum a bracchio dextro dependentem, praeterea caligam quandam in pede dextro habet.

Postremo dubium est, utrum ad hanc an ad quintam classem referendae sint duae lecythi Vindobonae in museo Austriaco servatae[5]): in eis Hercules clava pugnat.

IX. Figuris illis Herculis et Amazonis primae accedunt quattuor figurae, ita ut in dextra picturae parte duae Amazones auxilium amicae ferant, et duae aliae, quarum altera obstupefacta recedit, altera e pugna se recipiens respicit, post Herculem positae sint.

---

[1]) Suspicor hanc figuram refectam esse.

[2]) Stackelberg, Graeber der Hellenen, tab. 14,2; explicatio ejus falsa est.

[3]) Millingen, Ancient Unedited Monuments, tab. 39. Parum recte dicit ille pugnam cum Actoridis commissam picturam praebere.

[4]) Dubois - Maisonneuve, Introduction à l'étude des vases antiques, tab. 66,2. In museo Neapolitano vas servatum esse dicitur; sed in Heydemanni catalogo id frustra quaeras. Duboisius figuram post Herculem positam parum recte pro Theseo habuit.

[5]) Arch.-epigr. Mitteil. aus Oesterreich, III, p. 74, no. 3—4.

Hydria Monac. 492): pictura est in superiore vasis parte: Hercules clava munitus est; Amazon quae fugit tunica et mitra et pharetra praedita est.

X. Figuris illis Herculis et Amazonis additur in utraque parte Amazon, quae e proelio excedit.

Lecythi: Athen. 263; 264.

Monac. 1256.

XI. Figuris duabus illis accedit in dextra picturae parte vir, qui hastam in Amazonem intendit.

Oenochoa Londin. B 473: Hercules hasta pugnat. Amazonem sine dubio invadit, nam corpus eius albo colore est. De tertia autem figura potest dubitari, utrum vir sit an Amazon, quae amicam defendit[1]); corpus eius albo pigmento non coloratum est, ita ut eam pro viro habeam.

XII. Figuris illis duabus additur in dextra picturae parte vir, et in altera parte Amazon, quae e pugna abit.

Amphora Monac. 567: Hercules clavam vibrat; alter vir, thoracem et chlamydem sine galea, ut videtur, indutus, etiam clava armatus est.

XIII. Figuris Herculis et Amazonis accedit in utraque parte Herculis socius.

Oenochoa Petropol. 12.[2])

Olpae: Londin. B 498 (656).[3])

Altera olim Romae apud mercatorem quendam.[4])

In omnibus Hercules clava munitus est.

XIV. Figuris duabus illis additur in dextra picturae parte Amazon, quae amicam protegit, in altera parte prope Herculem miles eius socius.

Lecythus Durandi 292[5]): prima Amazon bracis, veste stricta, mitra, pelta, hasta instructa est.

[1]) Vide supra, III.

[2]) Campanae 345.

[3]) Durandi 284.

[4]) Graphis in bibliotheca musei Berol., XII, 113.

[5]) De Witte, Description des vases peints et des bronzes antiques qui composent la collection de M. de M***, Par., 1839, no. 37.

Hoc loco etiam conmemorare licet amphoram, ut videtur, mutilam olim Campanarii, postea Leakeii.[1]) In media pictura sunt figurae Herculis et Andromachae, altero tanto paene maiores ceteris figuris. Hercules, qui cassidem Amazonis conprehensam tenet, et pede sinistro eam obprimit, pectus eius hasta percutit. Ea genu nixa gladium scutumque e manibus amittit. Broendstedius dicit eam praeter tunicam brevem, thoracem, cassidem, ocreas etiam bracis vestitam esse. At cum vix credibile sit bracas cum tali armatura coniunctas esse, credo eum erravisse. A dextra picturae parte Alcaea hasta sociam defendit; ab altera parte Telamon super Glauces[2]) corpus progrediens Herculi auxilium fert. In altero vasis latere sunt quinque Amazones quasi in pugnam euntes, quarum nomina quattuor servata sunt (Antariste, Areto, Aenipe, Anaxilea). Broendstedio duo latera in unam picturam coniungenda videbantur. Quod dubium est; nam latera amphorarum atris figuris ornatarum raro eo modo coniungenda sunt; neque in hoc vase videtur esse, cur id faciamus. Credo igitur Amazones, ut in aliis picturis, ita hic in pugnam quamlibet progredientes depictas esse; vide infra, p. 54.

XV. Figuris Herculis et Amazonis accedit in utraque parte Amazon, quae respiciens proelium relinquit, deinde in dextra parte quarta Amazon, quae capite ad dextram retorto conruit, et in sinistra parte miles, qui Herculi subsidio venit.

Amphora olim Romae apud mercatorem quendam.[3])

---

[1]) Broendsted, A brief description of 32 ancient vases lately found by Mr. Campanari, Lond., 1832, no. 28; Jahn, Ann. dell' Inst., 1864, p. 239 sq.; Kluegmann, Die Amazonen in der att. Litteratur und Kunst, p. 53; Panofka, Arch. Zeit., 1846, p. 207. Broendstedius vas hydriam duabus ansis praeditam (amphoram), Panofka pateram esse dicit; hoc se recte habere non potest, ut e figurarum duarum altitudine, quae novem digitorum sunt, adparet.

[2]) Ita cum Panofka legendum esse videtur; Broendstedius Lualke legit; Iahnius (Ann. dell' Inst., 1864, p. 239, n. 3) Alalke coniecit.

[3]) Gerhard, Auserles. Vasenb., II, tab. 104.

XVI. Figuris Herculis et Amazonis adduntur figurae spectantium, qui pugnae se non inmiscent.

Amphorae: Campanae IX, 392, nunc in museo Parisino: Hercules nudus et imberbis clava munitus est; Amazon pellem supra tunicam habet. In utraque parte figura pallio amicta, sivi viri sive mulieris, et vir nudus; vir qui in sinistra parte stat ad dextram versus respicit. Opus inferioris artis est.

Durandi 409: Hercules clava armatus est; in utraque parte iuvenis et mulier; cf. tripodem Berol. 3988, supra, p. 11.

De Mattei:[1]) in utraque parte eques, cuius equus adversus depictus est.

Hydria Campanae 203, nunc in museo Parisino servata: Hercules clava pugnat; Minerva et equorum eius membra posteriora post eum adparent.

Oenochoa Bazzichellii:[2]) in utraque parte figura baculum tenens.

Lecythi: Londin. B 523 (624*)[3]): Hercules cassidem gerit, et sinistra manu cingulum Amazonum reginae, nisi forte corona est,[4]) tenet. De huius partis vasis integritate dubitari non potest, quamvis pauca alibi refecta sint. Amazon collari ornata est. In dextra picturae parte iuvenis ad dextram versus ad pugnam respicit; in altera parte vir tunicam longam et pallium indutus proelium spectat.

Altera lecythus in Sicilia reperta:[5]) in utraque parte Amazon equestris mitrata; cf. infra, p. 85.

XVII. Figuris pugnantium quas supra in classe septima statuimus accedunt spectatrices Amazones.

Lecythus Londin. B 577: in utraque parte Amazon equestris chlamyde et casside instructa; vide infra, p. 85.

---

[1]) Graphis in bibliotheca musei Berol., XII, 140.


[2]) Bull. dell' Inst., 1859, p. 132.

[3]) Ann. dell' Inst., 1835, tab. C 1 et p. 111 sqq.; Arch. Zeit, 1847, p. 155.

[4]) Gerhard, Auserles. Vasenb., II, p. 67.

[5]) Graphis in bibliotheca musei Berol., XV, 65.

Inter has classes rationes quae quasi inter propinquos intercedant hoc fere modo exprimere licet:



Praeterea vasa conplura sunt, quae in quam classem cadant incertum est.

Amphorae: Bazzichellii:[1]) de altero latere cf. infra, p. 61.

Campanae 446; 508 (quattuor Amazones, quarum una e pugna excedit; de altero latere cf. infra, p. 76).

Principis Canino 419; 603; 1453; 1466; 1556; 1679; 1959[2]); et nescio an duae aliae[3]), quarum una tres Amazones praebet.

Castellanii[4]).

Hydria principis Canino 1940.[5])

---

[1]) Bull. dell' Inst., 1859, p. 132.

[2]) Gerhard, Rapporto Volcente, p. 151, no. 374.

[3]) Bull. dell' Inst., 1840, p. 124; Notice d'une collection des vases peints tirés des fouilles faites en Etrurie, Par., 1845, no. 8.

[4]) Bull. dell' Inst., 1869, p. 250.

[5]) Gerhard, Rapporto Volcente, l. l.

Stamnus Lugdunobat. 1651, olim Principis Canino 11 (tres Amazones.)

Olpae: Principis Canino 420.[1])

Durandi 285[2]) (tres Amazones).

Lecythus Lugdunobat. 1731 (duae Amazones).

Paterae: Principis Canino 1125.[1])

Dorowii et Magni.[1])

Restat ut pauca de pictura quadam satis mira dicam, quae est in amphora olim Campanarii.[3]) In media pictura Amazon ad sinistram progrediens respicit, et sinistra mentum supplex adtingit viri, qui iuxta eam ad sinistram iens sinistra manu dextram eius tenet. Is tunica, thorace, pharetra instructus est, dextraque gladium destrictum tenere videtur. Quem Herculem esse ex eo adparet, quod in altera eiusdem vasis pictura Herculem clava armatum similem in modum cum thorace et sine casside depictum videmus. In utraque picturae parte est iuvenis palliatus. Quae pictura suspiciosa mihi videtur. Nam toto caelo cum ceteris pugnae illius picturis discrepat; deinde quod mentum Herculis Amazon adtingit, id, quamquam apud poetas talia legimus, tamen a pictorum usu abhorrere videtur; tum id quod figurae principales ad sinistram eunt in vase atris figuris ornato rarum[4]) et suspiciosum est; postremo Hercules leonis pelle carens et thorace munitus in pictura eius aetatis aliquid miri habet. Itaque, sive refectum sive adulterinum est, vas mihi dubia fide videtur, quamquam in singulis formis, nisi quod in altera pictura Hercules duas pharetras habere videtur, fere nihil est, quod suspicionem excitet.

Picturas, quas habeo, omnes perlustravi, in quibus aut Hercules et Amazon sine sociis pugnant, aut, si quae aliae

---

[1]) Gerhard, Rapporto Volcente, l. l.

[2]) De Witte, Description des vases peints et des bronzes antiques qui composent la collection de M. de M***, Par., 1839, no. 36.

[3]) Graphis in bibliotheca musei Berol., XII, 111.

[4]) Exceptis illis vasis, in quibus miles socium mortuum vel vulneratum e pugna fert.

pugnantium figurae addantur, illorum pugnae se inmiscent. Alterum est genus picturarum, quae, velut antiquissima illa vasa, de quibus supra egimus, conplura dimicantium paria exhibent. Quas picturas hoc modo ordinare licet:

I. Hercules contra unam Amazonem pugnat.

Amphorae: Bonon. 1587 [1]): Hercules clava Amazonem caesurus est; inter eos avis depicta est; deinde Amazon altera militem percutit, et tertia ante virum tertium fugit.

Campanae 165, nunc in museo Parisino servata [2]): in media pictura Hercules et prima Amazon; prope Herculem altera Amazon ad sinistram versa in tergum cadit, parma, quam sinistra manu tenet, innitens; cui miles in sinistra picturae parte hastam intendit; in altera parte miles tertiam Amazonem cadentem et ad sinistram versam hasta trucidat.

Monac. 1081: in media pictura Hercules et Amazon; in utraque parte miles hastam in Amazonem cadentem intendit.

Hydriae: Castellanii [3]): pictura similis videtur, sed descriptio parum adcurata est.

Lugdunobat. 1650 [4]): in media pictura Hercules et Amazon;

---

[1]) Cf. Heydemann, Mitteilungen aus den Antikensammlungen in Ober- und Mittel-Italien, p. 59; falso in catalogo musei Bonon. dicitur Amazonem pelta armatam esse.

[2]) Quamquam animalium figurae in labro sunt, vas non inter antiquissima, quae est pulchritudo, posui. Herculis adversariae cassis praeter cristam duabus pennis albis ornata est.

[3]) De Witte, Notice sur quelques vases peints de la collection Castellani, Par., 1865, no. 10: De Witte, Catalogue de la collection d'antiquités de M. Alex. Castellani, Par., 1866, no. 29; Collection Aug. Dutuit, Par., 1879, no. 66. Postquam haec scripsi, picturam huius vasis, ut videtur, in L'Art pour tous, VIII, tab. 1912 repperi; in media pictura Hercules et Amazon; in dextra parte miles ad dextram versus Amazonem ad dextram versam et respicientem invadit; in sinistra parte miles ad dextram versus Amazonem ante eum cadentem, quae respiciens hasta se defendit, gladio trucidaturus est.

[4]) Olim principis Canino 397; cf. Janssen, Musei Lugduno-batavi Inscriptiones Graecae et Latinae, p. 58 sq.

in dextra parte miles cum altera Amazone pugnat; in altera parte miles et Amazon tertia, cui quarta auxilium fert, hastis dimicant.

Hoc loco etiam conmemoranda est, nisi forte ad classem XIV pertinet, amphora olim Castellanii[1]) Nicosthenis operum similis, quae Herculem et militem contra duas Amazones pugnantes exhibet.

Postremo incertum est, an ad hanc classem referenda sit amphora (?) olim Basseggii[2]), in qua Hercules et duo milites cum Amazonibus pugnant; eae peltas habere dicuntur.

II. In media pictura Hercules contra duas Amazones, ut supra in vasis ad classem tertiam pertinentibus, pugnat.

Hydriae: Bocchiana 5[3]): pictura in superiore parte est: in dextra parte miles Amazonem vulneratam et in genu cadentem hasta percutit; in altera parte miles ad sinistram versus cum adversa Amazone de altera Amazone humi iacente pugnat.

Campanae 71, nunc in museo Parisino servata: pictura in superiore parte est: in dextra parte miles Amazonem persequitur, quae currens respicit sese defensura; in altera parte Amazon ad sinistram versa et genu nixa hastam militi intentat, qui eam hasta premit.

Monac. 128: in dextra parte miles Amazonem hasta percutit; in altera parte Amazon sociam humeris e pugna portat; cf. infra, p. 70.

Romae olim apud mercatorem quendam[4]): pictura in superiore parte est: in dextra parte miles Amazonem ad dextram persequitur, quae ante eum currens respicit; in altera parte Amazon ad sinistram versa cum milite adverso pugnat; prope eos est miles ad dextram versus, qui genibus et dextra manu nixus hastam longam sinistra tenet; quae figura non satis adparet,

---

[1]) De Witte, Catalogue de la collection d'antiquités de M. Alex. Castellani, Par., 1866, no. 30.

[2]) Bull. dell' Inst., 1840, p. 56.

[3]) Schoene, Museo Bocchi, sub num.

[4]) Gerhard, Auserl. Vasenb., IV, tab. 314.

utrum vulnerata cadat, an hasta Herculis hostem ferire velit; fortasse nonnulla in ea refecta sunt; nam habitus eius mirus est.

III. Hercules cum duabus Amazonibus, ut supra in quarta classe, pugnat.

Amphora Londin. B 17 (580*)[1]: in dextra parte miles Amazonem genu nitentem et ad sinistram versam trucidaturus est.

IV. In media pictura sunt quattuor figurae, Hercules et Amazon, praeterea altera Amazon, quae ad dextram versa et in genu cadens respicit, et miles ad sinistram versus, qui in Amazonem primam hastam intendit.

Amphora Vaticana[2]): in dextra parte Amazon ad dextram versa militem genu nixum gladio interficit; in sinistra parte duae Amazones ad sinistram versae militem adversum invadunt; ante eas est figura Amazonis, ut videtur, genu nixae et ad dextram versae, cuius cassis penna ornata est.

V. Hercules, adversaria prima eversa, duas Amazones, quae auxilium ferunt, gladio invadit.

Patera Londin. B 315[3]): latus exterius in quattuor partes divisum est, quarum una pugnam Herculis et Geryonis exhibet, altera picturam Bacchicam, tertia Herculem cum Amazonibus pugnantem, quarta proelium Amazonum et militis[4]). Duae Amazones quae cum Hercule dimicant altera iuxta alteram, ut in amphora Aretii servata[5]), stant; quas hoc modo nescio an pictor depinxerit, ut similitudinem quandam Geryonis figurae in altera

[1]) Arch. Zeit., 1847, p. 24*; 1848, p. 107*. Falso in catalogo musei Amazon quae post Herculem stat bracis vestita esse dicitur.

[2]) Mus. Greg., II, tab. 44,1.

[3]) Mon. dell' Inst., IX, tabb. 9—11; Bull. dell' Inst., 1866, p. 217 sq.; 1868, p. 218 sq.; Ann. dell' Inst., 1869, p. 245 sqq.

[4]) Parum recte Schoenius (Ann. dell' Inst., 1869, p. 249) duas posteriores picturas ad unam pugnam refert, nisi forte duae priores etiam ad unam eandemque rem spectant. Rectius iudicavit Helbigius (Bull. dell' Inst., 1868, l. l.)

[5]) Vide infra, p. 29 sq.

vasis parte positae efficeret. Post Herculem miles ad sinistram versus hastam in Amazonem intendit, quae ad dextram versa et genu nixa hasta se defendit. De altera huius paterae pictura cf. infra, p. 63.

Postremo, cum, albo pigmento quo tincta erant corpora deperdito, Amazonum figurae facile pro viris haberi possint, vasa nonnulla nominanda sunt, quae in libris Herculem cum viris pugnantem exhibere dicuntur, sed nescio an re vera Amazones praebeant.

Amphorae: principis Canino 247: Hercules clava armatus contra unam figuram pugnat.

Principis Canino 1192: quattuor hostes.

Principis Canino 1692: duo hostes.

Principis Canino [1]): duo hostes; Hercules clava munitus est.

Panckouckii 74 [2]): tres hostes.

Hydriae: principis Canino 1690: Hercules, Minerva et Mercurio adstantibus, contra quattuor figuras dimicat.

Petropol. 22: unus hostis.

Cotyla Panckouckii 77 [2]): Hercules et duo socii cum tribus hostibus pugnant; quod Duboisius picturam trium parium pugnantium in altero vasis latere depictam cum hac pictura coniungendam esse putat, id mihi perdubium videtur.

Patera Panckouckii 75, in utroque latere: Hercules clava unam figuram invadit.

Sequitur ut vasa rubris figuris severi generis ornata conmemoremus. Picturae quae in eis reperiuntur earum quae supra vidimus in universum similes, sed pulchriores et perfectiores sunt.

I. In prima harum picturarum classe Hercules, ut in vasis nigris figuris decoratis, tunica et pelle vestitus est, et ad dextram contendit.

---

[1]) Notice d'une collection de vases peints tirés des fouilles faites en Etrurie, Par., 1845, no. 15.

[2]) Nunc Bononiae Francogallorum servata, cf. Arch. Anzeiger, 1889, p. 185.

Amphora Romana in museo Capitolino servata [1]): Hercules manu sinistra Amazonem cadentem conprehensam tenet, quam clava interfecturus est; in dextra parte Amazon, hasta intenta, amicam protegere conatur; in altera parte tertia e pugna exit. Cf. supra, p. 16 sqq.

Vas (amphora?) Urbibenti repertum [2]): Hercules cum duabus Amazonibus pugnat; in alterius lateris pictura, quae fortasse ad eandem pugnam referenda est, tres Amazones auxilio eunt.

Aryballus Bonon. 1381 [3]): Hercules manu sinistra Amazonem genu nixam tenet, clava eam interfecturus; cui altera Amazon auxilium fert. Post Herculem miles ad sinistram versus hastam in Amazonem intendit, quae ad sinistram versa et genu nitens ad alterum militem oculos, quasi eum implorans, tollit; is acinace eam percussurus est. Quae pictura venusta inter severi generis posteriores ponenda est.

Paterae: Londin. E 32 (821) [4]): Hercules (inscr.) dextra gladium tenens sinistra Amazonis scutum prehendit, quae ante eum currens respicit, hastamque intendit. Prope eam sunt litterae, ut ego quidem credidi, . . . *Δ . ΟΙ* (pro *ΑΝΔΡΟΜΑΧΕ*?; catalogus, . . . *ΟΙ*; CIG. 7760, *ΚΑΛΟΣ*). Post Herculem Lycopis (inscr.) ad sinistram currens respicit, manumque dextram tollit; tunica brevi, lorica, mitra Phrygia, pharetra, arcu instructa est.

Parisina, a Cleophrade facta [5]): fragmenta in nummotheca

---

[1]) Bull. dell' Inst., 1866, p. 214, no. 42; 1875, p. 131.

[2]) Bull. dell' Inst., 1875, p. 131; cf. infra, p. 56.

[3]) Heydemann, Mitteilungen aus den Antikensammlungen in Ober- und Mittel-Italien, p. 57; Roscher, Lexikon, I, p. 2203. Graphis in bibliotheca musei Berol., XXII, 63 Furtwaenglero, viro doctissimo et vasorum peritissimo, qui me et de hoc vase et de aliis quaerentem iuvit, gratias ago. Falso in catalogo una Amazon pelta instructa esse dicitur.

[4]) Durandi 428; Panofka, Eigennamen mit *καλός*, p. 93 (Abhandl. der Berliner Akad., 1849); Jahn, Dichter auf Vasenbilder, tab. III et p. 756, no. 1 (Abhandl. der koen. saechs. Gesellsch. der Wissensch., 1861); Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 122, no. 17; Klein, Griech. Vasen mit Lieblingsinschr., p. 35.

[5]) Luynes, Description de quelques vases peints, tab. 44; Jahn, Ann.

servata sunt: Hercules (inscr.) Amazonem ad sinistram versam et genibus nixam gladio trucidat; altera Amazon pelle super tunicam praedita ad sinistram contendens hastam in eum intendit; tertiaque Scythica veste instructa sagittam in eum mittit. Post Herculem Xanthippe (inscr.) ad dextram progrediens se convertit, ut gladio militem, qui gladium in latus suum condidit, se ulciscens feriat.

II. Hercules pellem sine tunica indutus ad dextram contendit.

Amphora, quam olim Cella possidebat[1]): Hercules clava munitus Amazonem Hipponicen (inscr.) invadit; ea ad sinistram versa hastam ei intentat. Prope eos duae Amazones humi iacent. In dextra picturae parte miles gladium destrictum tenens ad sinistram progreditur; inter eius pedes scutum est.

Amphora Urbibenti reperta[2]): Hercules sagittam in duas Amazones mittit, quae altera iuxta alteram incedentes a dextra parte eum invadunt; una ex iis mitrata est. Ante eum tertia Amazon vulnerata et humi iacens dextram precans tollit. In dextra picturae parte quarta et ea vulnerata respiciens e pugna recedit; mitram et arcum habet. In altera parte Minerva pugnam adspicit.

Amphora Aretii servata[3]): Hercules dextra manu clavam, sinistra

---

dell' Inst., 1864, p. 242 sq.; Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 149; Bull. dell' Inst., 1829, p 198; Gerhard, Rapporto Volcente, p. 179, no. 703. Babeloni viro doctissimo, qui hoc aliaque vasa in nummotheca Parisina servata mihi ostendit, gratias maximas ago.

[1]) Bulletino Napolitano, N. S., I, tab. 10 et p. 175; Ann. dell' Inst., 1864, p. 243 sq.; Klein, Griech. Vasen mit Lieblingsinschr. p. 74.

[2]) Ann. dell' Inst., 1877, p. 133.

[3]) Demster de Etruria regali, I, tab. 19; Passerius, Picturae Etruscorum in vasculis, tab. 163; Dorow, Voyage archéologique dans l'ancienne Etrurie, p. 45; Mon. dell' Inst., VIII, tab. 6; Ann. dell' Inst., 1864, p. 239 sqq.; Bull. dell' Inst., 1864, p. 35; Heydemann, Mitteilungen aus den Antikensammlungen in Ober- und Mittel-Italien, p. 104, no. 1; Klein, Griech. Vasen mit Lieblingsinschr., p. 67.

arcum et sagittam tenens super corpus Cydoemes (inscr.) progreditur, quae supina cadens manu sinistra nititur; ei sanguinem e tribus vulneribus fundenti oculi morte solvuntur. Cuius nulla ratione habita, heros Hypsipylen et Thraso (inscrr.) petit, quae altera iuxta alteram stantes hastas ei intentant; post eas Tisipyle (inscr.) bracis, veste manicata, casside Corinthia, pharetra instructa et ad sinistram versa sagittam in Herculem mittit. Post Herculem Telamon (inscr.) ad sinistram versus Toxin (inscr.) iam tribus locis vulneratam gladio percutit; ea Scythica veste praedita supina cadit, capite ad sinistram retorto. De altero latere cf. infra, p. 55.

Paterae: Berol. 2263 [1]): Hercules (inscr.) gladium dextra tenens Amazonem fugientem persequitur, quae respiciens se pelta tegere conatur. Altera Amazon Scythica veste praedita etiam ad dextram currens respicit, et sagittam in Herculem mittit. Inter eius pedes nomen Andromaches scriptum est, quod ad primam Amazonem pertinere aliarum picturarum conparatio docet. Post Herculem Lycopis e pugna abiens respicit. In altero vasis latere Iolaus (inscr.) in currum ascendit; sed duas picturas in unam coniungendas esse, quod Furtwaengler putat, vix credo.

Londin. E 51 (820) [2]): Hercules (inscr.) clava Andromacham (inscr.) caesurus est, quam sinistra manu conprehensam tenet. Ea ad sinistram versa et genu nixa supina cadit, gladiumque e vagina educit. Quam altera Amazon hasta intenta defendere conatur. In altera picturae parte Hippo (*HIΠO*) ad sinistram versa e pugna recedit. Quod hoc nomen ad picturam in altero vasis latere pictam refert Petersenus [3]), nugae viro docto indignae sunt. De ea pictura, quae cum pictura Herculis pugnae vix recte coniungitur, et de tertia pictura cf. infra, pp. 56, 75.

---

[1]) Principis Canino 798; Gerhard, Rapporto Volcente, p. 151, no. 374; Gerhard, Auserl. Vasenb., II, p. 61; Jahn, Dichter auf Vasenbilder, p. 756, no. 2; Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 122, no. 16; Klein, Griech. Vasen mit Lieblingsinschr., p. 34.

[2]) Durandi 293.

[3]) Ann. dell' Inst., 1884, p. 276.

Hoc loco etiam conmemoranda sunt fragmenta paterae[1]), quae eandem rem exhibebat: Herculis nihil nisi caput servatum est; Amazonem cadentem vel humi iacentem amica defendit, postremo in utraque parte Amazon se e pugna recipere videtur; satis mira est inscriptio *Ηεραxλες αγαθος.*[2])

III. Hercules tunica et leonis pelle vestitus ad sinistram versus est.

Cantharus Campanae a Dure factus, nunc Bruxellis servatus[3]): in uno latere Hercules, arcum sinistra tenens, Amazonis pectus gladio transfodit. Ea tunica brevi, chitonisco, casside, pharetra instructa gladium e vagina educere conatur, et caput ad sinistram retorquens supina cadit. Quam protegit altera Amazon eodem modo vestita, praeterea clipeo et gladio instructa, quae ad dextram versa contra Herculem pugnat. Post eum tertia similem in modum instructa et genu nixa sagittam in eum mittit. Postremo quarta tunica brevi, lorica, casside, pharetra, scuto munita hastam in eum intendit. In altero vasis latere, quo eadem pugna inlustrata videtur, miles ad sinistram versus gladium in Amazonis collum condit. Ea tunica brevi, chitonisco, casside, pharetra, scuto, gladio armata, dextra manu innitens et caput ad sinistram retorquens supina cadit. Altera Amazon similiter vestita et ad dextram versa eam defendere conatur, hasta militi intenta; tertiaque pharetra, arcu, securi armata ad sinistram progrediens respicit. Post militem quarta Amazon ad sinistram versa arcum sinistra tenens, dextra manu acinacem destrictum, ut eum feriat, tollit.

IV. Hercules cum Amazone a tergo eum invadente pugnat.

---

[1]) Roscher, Lexikon, I, p. 2203. Gratias maximas horum fragmentorum possessori ago, qui summa comitate graphides mihi dedit.

[2]) Hydriam Londin. E 198 (756; d'Hancarville, IV, tab. 50), quippe quae ad posteriorem aetatem referenda esse videatur, omisi.

[3]) Memorie dell' Inst., II, tab. 11 et p. 393 sqq.; Wiener Vorlegeblaetter, VII, tab. 4,1a, 1b; Arch. Zeit., 1846, p. 287; Panofka, Eigennamen mit *xαλός*, p. 75; Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 160, no. 22.

Patera alba conpluribus coloribus picta[1]): pictura partim deperdita in interiore parte est: Hercules nudus se ad sinistram convertens clavam contra Amazonem quatit; ea ad dextram versa, calceis, tunica, chlamyde vestita est.

V. Hercules in altero vasis latere, Amazon in altero posita est.

Amphora in museo Parisino servata[2]): in altero latere viri nudi figura aetate aliquid confecta ad dextram versi et gladio cincti videtur; a sinistro bracchio vestigia leoninae pellis dependent, et dextra manu super caput elata clavam tenet; sine dubio Hercules est. Sub ea inscriptum est, ut Pottierum recte sibi persuasisse puto, *δοκεῖ σμικρὸς εἶναι.* In altero latere Amazon ad sinistram versa et bracis, veste stricta, *διαζώματι,*[3]) mitra, pharetra instructa sagittam missura est; prope eam *Βαρκιδα* scriptum est.

Praeterea nescio an Hercules cum Amazonibus pugnans depictus sit in patera olim principis Canino 559, in qua heros et socius cum tribus hostibus pugnare dicuntur. Inscriptionis litterarum forma[4]) vas ad quintum saeculum referendum esse docet; sed cum Herculis figura iuvenilis sit, fortasse ad posteriorem eius partem quam picturae supra conmemoratae pertinet. Ceterum in patera Politii[5]) figura Scythicum in modum armata, quae post Herculem fugit, Amazon esse vix potest, nisi, id quod veri dissimile est, figura viri, quem Hercules interfecturus est, et altera in dextra picturae parte refectae sunt.

Jam picturis collectis, antequam de fabulae quam pictores inlustraverunt fontibus quaeramus, pauca de earum compositione dicenda sunt. Petersenus[6]) enim statuit omnes eas ab illa

---

[1]) Benndorf, Griech. und sicilische Vasenbilder, tab. 11,3.

[2]) Lenormant, Collection Piot, Par., 1870, no. 40.

[3]) Cf. Wieseler, Satyrdrama, p. 142.

[4]) Cf. CIG, 7558.

[5]) Politi, Sulla tazza dell' amicizia, Panorm., 1834; Inghirami, Pitture di vasi fittili, III, tab. 261.

[6]) Ann. dell' Inst., 1884, p. 280 sq. Rectius iudicavit Furtwaengler (Roscher, Lexikon, I, p. 2202).

Herculis et unius Amazonis pictura quasi a radice ortas esse. Quod minime verisimile est. Nam certamen singulare Herculis et Amazonis a fabula antiquissima, in qua Herculem multis cum sociis contra Amazones proficiscentem poetae fecerunt, ut infra videbimus, abhorret; atque in antiquissimis vasis, nisi spatium ad plures figuras deest, fere numquam videtur. Quod Petersenus dicit picturas quae duas modo figuras habent plures esse, quam quae ad quamcunque aliam classem referendae sunt, id nihil est. Nam octavae classis, ut supra vidimus, fere totidem vel etiam plura quam primae vasa sunt; atque in multis vasis, ubi spatium angustum erat, pictor, etiamsi voluerit, plures figuras describere non potuit. Sed hic supervacaneum est conmorari; nam de tali re numerorum solum ratione habita statuere non licet; artis pingendi gradus et aetates respiciendi sunt. Quod idem dicit Scythicam vestem ceteris Amazonibus, quippe quae posteriore tempore additae sint, saepius quam Amazoni quae cum Hercule pugnat adhibitam esse, id ad rem pertinere vix credo; ineptum enim erat Herculem fortem viribusque ingentem contra figuram levibus sagittarii armis instructam pugnantem depingere. Atque si vasa adcuratius inspicimus, res ita se habere videtur: antiquissimis temporibus conplurium virorum et Amazonum pugnam et poetae et pictores celebrabant; sed in vasis quae spatium angustius ad pingendum praebebant, figuras principales Herculis et eius adversariae e tradita picturae forma quasi excerpebant; posteriores autem, cum vasa essent quae duabus figuris non satis ornarentur, duas vias sequentes, aut unam vel duas figuras in utraque parte addebant, aut, ut antiquissimi pictores, pugnam conplurium parium exhibebant. Quod si recte statuimus, intelligi potest, quo modo factum sit, ut picturae quae duas illas figuras praebent cum mediis picturis quae conplures figuras continent in universum congruant, qua re Petersenus etiam ad suam sententiam confirmandam utitur. Sed de hac re satis diximus.

Nunc de fabula ipsa quam pictores inlustraverunt quaeramus. Ac primum figurae illae Herculis et adversariae eius non

possunt non a fabula petitae esse. De nomine quidem Amazonis fortasse aliquis dubitabit; sed cum vasa, in quibus nomen omnino scriptum est, omnia praeter dinum illum Campanae II, 27, qui nomen simile *Δρομάς* exhibet, nomen Andromachae praebeant, etiam illud e fabula haustum esse satis certum est. Neque ex eo, quod in picturis nonnullis Thesei cum Amazonibus pugnam[1]) aut alia[2]) inlustrantibus idem nomen reperitur, effici potest pictores etiam in vasis quae Herculis pugnam exhibent nomen ad arbitrium posuisse. Nam Herculis adversariam in fabula nomine caruisse incredibile est; atque si pictores nomen invenissent, veri dissimile est eos id nomen, quod in fabula Troiana ad feminam minime Amazonum similem pertinebat, Amazoni adhibituros fuisse. Sed si in una de Amazonibus fabula reperiebatur nomen, cum constet[3]) pictores Amazonum nominibus parum adcurate usos esse, facile etiam in picturis quibus aptum non erat usurpari poterat. Ceteris Amazonum figuris quae pugnae contra Herculem se inmiscent nomina rarius adhibita reperimus; si quae sunt, ab Amazonum indole a pictoribus ipsis ducta videntur.

Socio etiam Herculis in paucis vasis nomen Telamonis datum invenimus.[4]) Quod nomen, praesertim cum in libris, ut videbimus, Telamonem cum Hercule contra Amazones pugnavisse legamus, sine dubio e fabula depromptum est. Praeterea in duabus picturis[5]) nomen Glauces Amazoni aut contra eum pugnanti aut prope eum humi iacenti adhibetur. Hoc nomen Ama-

---

[1]) Gerhard, Auserl. Vasenb., IV, tab. 329; Mon. ed Ann. dell' Inst., 1856, tab. 15 (= Gerhard, Apulische Vasenb., tab. E 1); Salzmann, Necropole de Camiros, tab. 58.

[2]) Gerhard, Auserl. Vasenb., II, tab. 103; III, tab. 199; Museo Borbonico, X, tab. 63.

[3]) Ann. dell' Inst., 1867, p. 217 sq.

[4]) Mon. dell' Inst., XII, tab. 9; Campanae II, 27; Broendsted, A brief description of 32 ancient vases, no. 28; Mon. dell' Inst., VIII, tab. 6.

[5]) Mon. dell' Inst., XII, tab. 9; Broendsted, A brief descripton of 32 ancient vases, no. 28. In priore *Λαυκε* scriptum est, sine dubio pro *Γλαυκε*.

zoni ab Hygino[1]) et a scholiasta in Iliadem[2]) datum est; sed nullo loco, quantum scio, qui ad Herculis pugnam spectat, reperitur; contra Telamon in hac pugna Melanippen interfecisse dicitur.[3]) Sed duo pictores idem nomen invenisse vix verisimile videtur; atque in aliis pugnae momentis alias adversarias Telamon invadere potuit. Itaque etiam hoc nomen pictores fortasse a fabula petiverunt; quamquam id non omnibus notum fuisse ex eo adparet, quod in alio vase[4]) Telamonis hostis Toxis adpellatur.

Pictores igitur nomina Herculis et Telamonis, Andromaches et fortasse Glauces e fabula deprompserunt.

Iam de locis apud scriptores ad eandem rem pertinentibus quaerendum est. Ac primum quidem Pindarus Herculis et Telamonis expeditionis mentionem facit, idemque Herculi Troiam expugnanti, Meropes vincenti, Alcyonea interficienti Telamonem comitem fuisse tradit[5]); unde fabulam de Telamone Herculis comite Pindari aetate omnibus notam fuisse satis patet; quod e picturis, quarum conplures vel antiquiores sunt, etiam sine scriptorum testimonio conicere liceret. Quo fit ut veri simillima sit Roberti viri doctissimi coniectura[6]), carmen epicum quoddam fuisse, in quo haec omnia, quibus Telamon intersit, expeditio contra Amazones, Troiae expugnatio, Meropum clades, Alcyoneos mors, narrata essent. Quod carmen, ut picturae in antiquissimis vasis demonstrant, post sexti saeculi initium factum esse non potest, immo vero aliquanto antiquius fuit; nam pictores poema non statim postquam ortum est inlustravisse veri simile est. Neque ante octavi saeculi finem conditum est; nam fabula de Alcyoneo in Pallene interfecto antiquior quam coloniae a Graecis, in primis a Pellenaeis et Corinthiis, in eas oras deductae esse non videtur[6]); quas colonias fere octavi saeculi fine deductas esse

[1]) Hygin. fab. 163.
[2]) Schol. in Il. Γ, 189.
[3]) Schol. Pind. Nem. III, 64 (38).
[4]) Mon. dell' Inst., VIII, tab. 6.
[5]) Pind. Nem. III, 36 sqq.; IV, 25 sqq.; Isth. VI (V), 27 sqq.
[6]) Hermes, XIX, p. 485.

constat [1]). Itaque carmen illud septimo saeculo ortum esse adparet.

Quae cum ita sint, carminis illius, vel potius partis eius, in qua haec narrabantur, vestigia quae apud posteriores scriptores exstant indagare conemur. Quorum narrationes in duas classes distribuere licet.

Ad primam classem pertinent ea quae Hellanicus tradit [2]). Is dicit omnes Argonautas cum Hercule contra Amazones pugnavisse; deinde narrat Herculem Hesionam liberaturum monstrum marinum, cum in ventrem eius iniisset, trucidavisse, Laomedontem autem mortales equas pro inmortalibus ei dedisse; postremo dicit Telamonem ante Herculem, cum Troiam oppugnarent, in urbem venisse, hunc autem iratum ara constituta placavisse, et Hesionam virtutis praemium accepisse. Fere eadem de Hesione liberata tradit Tzetzes [3]), qui etiam dicit Podarcen, Hesionae fratrem, a sorore velamine redemptum nomen Priami accepisse. Cf. praeterea Lycoph. Alex. 33 sqq.; Sext. Empiric. adv. Mathem. I, 255; Serv. in Verg. Aen. I, 619, nisi forti hoc ex eodem fonte quo Hygini fabula (vide infra) haustum est. Diodorus etiam Siculus fabulam de Hesiona liberata cum Argonautarum expeditione coniungit, quamquam in rebus singulis ab Hellanico discrepat [4]); ea quae apud eum legimus sine dubio a Dionysio Scythobrachione mutuatus est [5]), nisi quod in lib. IV, cap. 32 illius narratio, quae in cap. 49 reperitur, cum narratione de Troiae oppugnatione ex eodem fonte hausta, quo usus est Apollodorus, ab ipso Diodoro, ut videtur, contaminata est [6]). Sed

---

[1]) Curtius, Griech. Geschichte, I, p. 418 sq.

[2]) Fr. 33, 136, 138, apud Mueller, Fragmenta historicorum Graec., I, pp. 49, 64.

[3]) Tzetz. Schol. in Lycoph. Alex. 34.

[4]) Diod. Sic. IV, 32, 42, 49.

[5]) Diod. Sic. III, 66, sub fine; Bethe, Quaestiones Diodoreae mythographae, Gott. 1887, pp. 12 et 15; Sieroka, Die mythologischen Quellen für Diodors 3. und 4. Buch, Lyck, 1878, p. 21.

[6]) Bethe, l. l., p. 69 sqq.

pugnam Amazonicam ab Argonautarum expeditione seiungit[1]), et in ea re narranda Metridem rhetorem, non Dionysium secutus est[2]). Hyginus quoque in fabula de Laomedonte[3]) Dionysium, ut e Diodori locorum conparatione adparet, excerpsit; sed nomen Priami ἀπὸ τοῦ πριᾶσθαι ductum docet eum narratiunculam quam apud Apollodorum vidimus non prorsus ignoravisse.

Ad alteram classem referenda est Apollodori narratio[4]), qui haec omnia ab Argonautarum expeditione separat. Dicit enim Herculem, cum ab Eurystheo missus Amazones vicisset, ad Troiam venisse, et Hesionam, monstro interfecto, liberavisse; cum autem Laomedon equas promissas dare noluisset, eum bellum comminantem abiisse, postea, cum revenisset, urbem oppugnavisse; Telamoni autem, qui primus in oppidum penetravisset, Hesionam virtutis praemium dedisse; quam fratrem Podarcen velamine redemisse; deinde Herculem, cum tempestate ad Coum insulam adflictus Meropes vicisset, ad Phlegram venisse. In hac narratione nihil de modo quo Hercules monstrum trucidaverit, neque de mortalibus equis pro inmortalibus datis dicitur. Etiam auctor tabulae Farnesianae ea quae de Hesiona post Cium conditam liberata, de Troiae expugnatione, de Coo capta tradit[5]) e simili fonte hausisse videtur; sed ea quae alio loco[6]) de Amazonibus habet, utrum eidem an alii scriptori debeantur, parum certum est. Postremo fere eadem de Coum clade refert Pherecydes[7]).

Iam locis inter se conparatis, perspicuum est Apollodorum ex alio fonte atque Hellanicum hausisse. Atque cum alia quae de Herculis athlis tradit, velut illa de avibus Stymphalidibus et

---

[1]) Diod. Sic. IV, 16.

[2]) Bethe, l. l., p. 41 sqq.; Holzer, Matris, ein Beitrag zur Quellenkritik Diodors, Tueb., 1881.

[3]) Hyg. fab. 89.

[4]) Apollod. Bibl. II, 5, 9, 7—12; 6, 4–7, 1. Ab Apollodoro sumpta sunt ea que Tzetzes ad Lycoph. Alex. 1327 refert.

[5]) Jahn-Michaelis, Griech. Bilderchroniken, p. 69 sq.

[6]) Jahn-Michaelis, l. l., p. 72.

[7]) Pherecyd. fr. 35, apud Mueller, Frag. hist. Graec , 1, p. 81; cf. Robert, de Apollodori Bibliotheca, Berol., 1873, p. 67.

de Hesperidum malis, a Pherecyde Apollodorum petiisse constet [1]), cumque ea quae de pugna cum Meropibus conmissa refert cum Pherecydis loco congruant, veri simillimum est haec omnia, de quibus agimus, eum a Pherecyde mutuatum esse.

Quae si recte statuimus, proximum est ut de carmine, e quo hausit Pherecydes, quaeramus; nam e carmine eum haec deprompsisse credo 'nullum esse, qui neget. Ac primum nobis in memoriam venit Pisandri Camirensis carmen; sed, ut de aetate eius multis vasis quae pugnam Amazonicam exhibent, inferiore ut videtur, taceam, is Solis poculum ab Oceano, non, ut Pherecydes, ab ipso Sole Herculem accepisse dixit [2]), quo fit ut Pherecydes eum non secutus esse videatur. Alterum de Hercule carmen Cinaethonem Lacedaemonium, cuius poetae famam antiquis temporibus haud parvam fuisse ex eo patet, quod cum alia ei adscripta sunt, tum a nonnullis Ilias parva [3]), condidisse accepimus; in quo carmine Herculem, obsidibus acceptis, Cianos iure iurando se Hylam quaerere non desituros esse adegisse poeta retulit [4]). Fecit igitur Herculem in Asia perigrinantem. Atque cum tam antiquo tempore vix credibile sit heroa inter Argonautas receptum fuisse [5]), verisimile videtur Cinaethonem eam rem cum expeditione contra Amazones incepta coniunxisse. Hylam enim ad eam expeditionem a scriptore quodam antiquo relatum fuisse ex eo adparet, quod Onasus, qui mihi quidem scriptor posterioris aetatis fuisse videtur, in libro qui Ἀμαζονικά inscribebatur de eo verba fecit [6]); atque, id quod fortasse anti-

---

[1]) Pherecyd. fr. 32, 33, 21; cf. Robert, l. l.

[2]) Pis. Cam. fr. 5 (Kinkel); Pherecyd. fr. 33.

[3]) Cf. Kinkel, Epicorum Graec. frag., p. 196; Schol. Vat. ad Eurip. Troad. 821.

[4]) Schol. Apoll. Rhod. I, 1357.

[5]) Seeliger (Roscher, Lexikon, I, p. 2793) negat Hylam ante Alexandrinorum aetatem inter Argonautas receptum fuisse. At Hellanicum (cf. Schol. Apoll. Rhod. I, 1207), quippe qui alia omnia, de quibus agimus, cum Argus expeditione coniunxisse videatur, etiam eum Argonautam fecisse credo.

[6]) Schol. Theocr. XIII, 46; Schol. Apoll. Rhod. I, 1207, 1236.

quissimae fabulae quasi incerta umbra est, apud Theocritum[1]) aquam Herculi et Telamoni, quippe qui intima amicitia devincti sint, petitum it puer formosus. De aetate autem Cinaethonis nihil pro certo adfirmari potest. Quod Eusebius[2]) eum Olymp. IV,2, (762) vixisse dicit, id non obstat, quin carmen, quod ad septimum saeculum referendum esse supra vidimus, ab eo conditum esse credamus; nam in his rebus Eusebio nullam fidem habendam esse satis demonstravit Ud. de Wilamowitz[3]). His omnibus perpensis, Cinaethonis carmen et Pherecydem et pictores secutos esse verisimile videtur.

Iam ad carminis epici frustulum quoddam venimus, quod ita tradit Schol. Pind. Nem. III, 64:

Τελαμὼν ἀκόρητος ἀϋτῆς
ἡμετέροις ἑτάροισι φόως πρώτιστος ἔθηκεν
κτείνας ἀνδρολέτειραν ἀμώμητον Μελανίππην
αὐτοκασιγνήτην χρυσοζώνοιο ἀνάσσης.

Carmen e quo haec excerpta sunt, ut Iahnius dicit,[4]) non totum in bello Amazonico versabatur; nam vox *ἡμετέροις* spectatorem illius pugnae, nescio an ipsum Herculem, in embolio de ea narrantem, velut Ulixes de itineribus suis in Odyssea loquitur, poetam fecisse docet. Sed cavendum est, ne narrationem illam breviorem fuisse credas, cum et fragmentum ipsum eam longiorem fuisse indicet, et multae picturae quae pugnam exhibent ad embolium breve et parvi momenti referri vix possint. Welckerus igitur frustulum ad Hegesinoi Atthidem seu Amazonidem referendum esse putavit, ita ut ad orationem Thesei, quo modo Antiopa potitus sit, narrantis pertinuerit.[5]) At fabulam de Theseo Herculis apud Themiscyram pugnantis comite ante quintum saeculum exstitisse, ut infra videbimus, veri dissimillimum est. Atque Hegisinoum in Atthide de Amazonibus verba fecisse

---

1) Theocr. XIII, 37.
2) Hieron. Euseb. Chron., p. 81 (Schoened).
3) U. de Wilamowitz-Moellendorff, Homerische Untersuchungen, p. 348 sq.
4) Ann. dell' Inst., 1864, p. 243, n.
5) Welcker, Ep. Cyclus, I, p. 321.

omnino non liquet[1]). Causa igitur non est, cur ab illo hos versus conditos esse putemus.

Altera est sententia Luebberti,[2]) quem Rzachius sequitur.[3]) Is putat frustulum illud ex Hesiodi magnis Eoeis fluxisse. At parum recte dicit versus in eo carmine, in quo Herculis eiusque comitum res gestae ampliter et dilucide enarratae essent, adcommodatos et aptos fuisse. Nam cum in uno vel duobus modo libris poeta de multis gentibus nobilibus, quae stirpes a mortalibus feminis a diis amatis repetebant, fabularetur, ampliter et dilucide neque de Hercule neque de ullo alio viro narrare poterat. Recte igitur Ud. de Wilamowitz negat Herculis res gestas omnes ordine ab Hesiodo pertractatas fuisse.[4]) Neque si eas enarravisset, Herculem ipsum de eis tam ampliter loquentem, quam is qui illos versus pronuntiavit locutus esse videtur, facere potuisset. Quod huic contradictioni occurrens dicit Luebbertus, Eoeas quoque orationum luminibus distinctas fuisse documento esse Pind. Isth. V, vss. 35—36, id nihil est. Nam ut apud Pindarum, ita in Eoeis ipsa Herculis precantis verba relata fuisse non constat; potuit quidem poeta rem breviter narrare. Atque si Herculem ipsum precantem introduxisset, tamen plane aliud est prex brevis ac longa de multis rebus narratio. At dicet quispiam: Scholiastes ad Pind. Isth. VI, 53 tradit narratiunculam de prece Herculis ex Eoeis depromptam esse. Quid tum? Num ea quae antea dicit poetam ex eodem fonte hausisse necesse est? Immo vero, id vix veri simile est. Illam enim narratiunculam ad maiorem Aiacis Telamonis filii gloriam inventam esse manifestum est, ita ut e loco quodam, in quo is, nec Hercules nec Telamon, praecipue celebrabatur, deprompta esse videatur. Veri autem dissimile est Hesiodum de Telamonis stirpe, cum in antiquissima fabula

---

[1]) De Hegesinoo prorsus nihil scimus nisi ea quae Paus. IX, 29,1 tradit; alia omnia quae de eo excogitaverunt viri docti fundamento carent.

[2]) Luebbert de Pindari studiis Hesiodeis et Homericis, Bonnae, 1881, p. 10 sqq.

[3]) Hesiodi quae feruntur omnia rec. Rzach., p. 197.

[4]) U. de Wilamowitz-Moellendorff, Euripides Herakles, I, p. 311.

ex Aeaco Jovis et Aeginae filio natus esse is non videatur,[1]) verba fecisse. Mater vero Aiacis, Periboea vel Eriboea, ex inlustrissima gente orta est, qua gente etiam Oenomaus, de quo poetam in Eoeis egisse scimus[2]), natus est. Cuius stemma hoc est:

Mars = Harpina vel Harpinna

Oenomaus = Sterope vel Eurythoe vel Euarete

Pelops = Hippodamia

Alcathous = Euaechme

Telamon = Periboea

Aiax.

Ex Eoea igitur in qua huius gentis res gestae narrabantur haec de Herculis prece Pindarus deprompsisse videtur; sed pugnam cum Amazonibus conmissam et Troiae expugnationem in ea amplius narratas fuisse veri dissimillimum est. Hac igitur argumentatione illos versus ex Eoeis non excerptos esse satis demonstravisse mihi videor. Sed quin ad Cinaethonem eos referamus, nihil obstat.

His locis, ut eo unde investigatio nostra de scriptorum testimoniis incepit redeamus, accedunt Pindari versus. Eum enim Cinaethonem potius quam scriptorem, quisquis erat, a quo mutuati sunt Hellanicus et alii qui pugnam cum Amazonibus conmissam et Hesionae liberationem cum Argonautarum expeditione coniungebant, secutum esse, conparatione cum Apollodori locis facta, perspicuum est.

Iam verisimile est Cinaethonem alias quoque Herculis res

---

[1]) Cf. Roscher, Lexikon, I, p. 110. De Aeacidis in Catalogo, vel, ut mihi quidem videtur, in Eoeis verba facta esse scimus (cf. Hes. fragg. 100—104 Rzach.); sed hoc etiam in carmine, cum Menoetium patrem Patrocli Pelei fratrem fuisse dixerit poeta (frag. 104), verisimile est inter Aeacidas nondum Telamonem numeratum fuisse.

[2]) Paus. VI, 21, 10 sq; Hesiodi frag. 165 (Rzach).

gestas narravisse. Itaque fortasse magna pars eorum quae de Herculis laboribus posteriores tradunt, praesertim eorum quae ad Pherecydem referri possunt, ab eius carmine petita est. Sed de singulis rebus difficile est iudicare. Ea autem, quae ad expeditiones contra Amazones et in Troiam ab Hercule factas pertinentia ex illo carmine excerpta esse videntur, iam indicavi, et infra in appendice huius libelli conlegam.

Ex illis frustulis poeta fere haec narravisse videtur:

Herculi, cum Themiscyram advenisset, Hippolyta cingulum sine pugna datura erat. Sed cum ceterae Amazones ab Iunone excitatae in armis contra eum venirent, ille reginam trucidavit, ceterasque superavit. Deinde in Graeciam rediturus Hermionam, monstro marino interfecto, liberavit; praemio autem recusato, bellum minitans abiit. Postea, cum Troiam iterum advenisset, Telamone adiuvante, urbem oppugnavit. Tum tempestatibus ad Coum deiectus Meropes pugna vicit; postremo in Phlegra Alcyonea interemit. Quorum facinorum omnium Telamon comes erat. De Cianis poeta retulisse videtur fere haec: Hyla amisso, Hercules coloniam Cium condidit (cf. tabulam Farnesianam), atque ius iurandum a colonis exegit, se puerum semper quaesituros esse. Hoc si verum est Graecos oppidum illud saeculo septimo iam condidisse patet. Et quamquam parum certum est, utrum ante an post Amazonicam pugnam poeta hanc rem narraverit, tamen si tabulae Farnesianae fides habenda est, nescio an post illud bellum eam conmemoraverit.

Cum hoc argumento vasorum picturae optime congruunt.[1]) Atque nunc demum intelligimus, cur ipsa Hippolyta numquam in pugnae illius Herculis et Amazonum picturis adpareat; nam iam ante pugnam inceptam trucidata erat. Item id explicari potest, quod in lecytho Londin B 523[2]) Hercules cingulum

---

[1]) De vasorum picturis quae ad Alcyoneos mortem pertinent, cf. Berichte der saechs. Gesellsch. d. Wiss., 1853, p. 135 sqq.; Arch. Zeit., 1884, p. 31 sqq.; Hermes, XIX, p. 473 sqq.; Max. Mayer, Giganten und Titanen, p. 172 sqq.

[2]) Cf. supra, p. 21.

(si quidem res quam habet cingulum est) manu tenet, id quod ineptum esset, si ea Amazon quam interfecturus est ipsa Hippolyta esset. Postremo ad Herculis et Hippolytae colloquium, quod de cingulo tradendo ante pugnam habuerunt, vasa nonnulla rubris figuris pulchri generis ornata[1]) pertinent quae ad fabulam posteriorem fortasse a Metride rhetore excogitatam non referenda sunt.[2])

II.

Sequitur, ut de picturis quibus Theseus celebratur pauca dicamus. Pugna quam is cum Amazonibus conmisisse dicitur, quamquam in posterioribus vasis saepius adparet, in antiquissimis numquam reperitur. Sed pauca vasa ad aetatem de quo agimus referenda Antiopae raptum exhibent[3]).

Quorum vasorum duo sunt nigris figuris posterioris generis ornata:

Amphora Monac. 7[4]): Theseus (inscr.) barbatus et armis instructus in quadrigas, dextro pede iam in curru posito, inscensurus est. Dextra Antiopam (inscr.) amplexus tenet. Ea Scythica veste, mitra, pharetra munita in curru inter eum et militem (litteras prope scriptas, difficillimas lectu, Jahnium recte interpretatum esse non credo), qui aurigae munere fun-

---

[1]) Neapol. 3241 (Mus. Borb., VI, tab. 5; Arch. Zeit., 1856, tab. 89); Bull. Napol., N. S., VII, tab. 13 et p. 175 sq.; Bull. dell' Inst., 1873, p. 152; 1881, p. 147.

[2]) Diod. Sic. IV, 16; errat igitur Kluegmannus (Roscher, Lexikon, I, p. 269), qui in his picturis Hippolytam sororem captam redimentem depictam esse credit

[3]) Mon. ed Ann. dell' Inst., 1856, p 86 sqq.; picturam quae in tab. 15 est, quippe quae posterioris generis sit, nobis neglegere licet. Kluegmann, Die Amazonen in der att. Literatur und Kunst, p. 24 sqq.; Gerhard, Auserl. Vasenb., III, p. 44, n. 52.

[4]) Olim principis Canino 1614; Réserve etrusque, p. 5, no. 9; Gerhard, Rapporto Volcente, p. 152, no. 386; Stephani, Compte rendu de la commission impériale archéol. pour 1866, p. 157 sq. De nomine illo dubio cf. Revue de Philologie, II (1847), p. 388, ubi de Wittius *Πονιδας* scripsit.

gitur, stat. Prope equos incedit miles, cui Neptunus (inscr.) cum tridente obviam venit; is enim Thesei filii incepto favet.

Hydria olim principis Canino[1]): pictura in superiore parte est. Theseus (inscr.) et Antiopa (inscr.) simul cum auriga curru feruntur. Ea, capite velato, duos milites, nisi forte, id quod mihi veri simile videtur, Amazones sunt, qui festinantes adcurrunt, implorare videtur.

Accedunt duo vasa rubris figuris serveri generis ornata:

Amphora Durandi 421, nunc in museo Parisino[2]): Theseus (inscr.) imberbis ad sinistram progrediens et respiciens Antiopam (inscr.) manibus amplexus fert; ea bracis, veste manicata, mitra Phrygia, arcu, pharetra, securi munita, ad dextram respicit, manumque dextram quasi implorans extendit. In dextra picturae parte Pirithous (inscr.) armis instructus ad sinistram progreditur, itemque quasi ad insequentes virginis amicas respicit.

Patera Londin. E 14 (827) a Cachrylione facta[3]): Theseus (inscr.) imberbis in currum ad sinistram versum pedem ponit, lora et stimulum dextra, duas hastas sinistra manu tenens. Bracchio sinistro Antiopam (inscr.) amplexus habet, quae veste Scythica, mitra, inauribus, pharetra praedita ad dextram respicit, et sinistram manum, quae arcum tenet, extendit. Sequuntur Pirithous (inscr.), qui ad sinistram progrediens dextram ad Antiopam extendit, et Phorbas (inscr.), qui ad dextram respicit.

---

[1]) Notice d'une collection de vases peints tirés des fouilles faites en Etrurie, Par., 1845, no. 16; Stephani, l. l., p. 167, n. 2.

[2]) Mon. dell' Inst., I, tab. 55; Ann. dell' Inst., 1833, p. 249; Inghirami, Pitture di vasi fittili, IV, tab. 320; Gerhard, Rapporto Volcente, p. 152, no. 386; Millingen in Transactions of the Royal Society of the Kingdom, II, Suppl., p. 28; Stephani, l. l., p. 169.

[3]) Olim principis Canino 560; De Witte, Description d'une collection de vases peints et bronzes antiques provenant des fouilles de l'Etrurie, Par., 1837, no. 115; Gerhard, Rapporto Volcente, p. 152, no. 386; Arch. Anzeiger, 1852, p. 182; Stephani, l. l, p. 169; Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 127, no. 8; Wiener Vorlegeblætter, D, 7.

Postremo conmemoranda est amphora Monac. 410 [1]), cuius in altero latere Theseus Coronen, si inscriptioni fides habenda est, adstantibus Helena et Pirithoo, rapit; in altero latere sunt senex et duae mulieres facinore illo obstupefactae, quarum altera nomen »Antiopeiam« habet. Quo nomine adductus Gerhardus dixit figuram Amazonem Antiopam esse, quae Thesei adventum exspectet, ut veterem sponsae rapiendae consuetudinem sequens eam capiat; et Welckerus Amazonem se in castra ad Theseum conferre putavit. At figura, quippe quae tunicam longam induta sit, qua (excepta una amphora Virceb. 126, ubi Amazon longam aurigae tunicam gerit [2]);) Amazones numquam vestitae sunt, Amazon esse non potest [3]). Atque duae vasis picturae, ut Brunnius perspexit [4]), unam rem inlustrant. Neque scio an huius vasis inscriptiones adulterinae sint; nam nomen Coronae pro Helena positum et alia nonnulla suspicionem excitant.

Restat ut de illis quae de Antiopa in antiquissimis fabulis narrabantur quaeramus. Ac post Welckerum communis opinio est Agiam vel Hegiam Troezenium in carmine, quod Nosti appellaretur, fabulam de Antiopae erga Theseum amore rettulisse. Pausanias [5]) enim tradit Hegiam Troezenium in poemate quodam dixisse (πεποίηται), Antiopam, cum Hercules frustra Themiscyram obsideret, Thesei amore captam oppidum prodidisse. Proclus autem Hagiam (sic codices) Troezenium Nostorum auctorem fuisse dicit. Itaque similibus nominibus adductus, Welckerus [6]) Pausaniam narratiunculam illam e Nostis, ubi in νεκυία de Antiopa poeta verba fecisset, deprompsisse coniecit.

[1]) Olim principis Canino 1941; De Witte, l. l., no. 110; Réserve etrusque, p. 9, no. 28; Gerhard, Rapporto Volcente, p. 152, no. 386; Auserl. Vasenb., III, tab. 168 et p. 49; Welcker, Alte Denkmæler, III, tab. 22,2 et p. 352; Panofka in Ber. der Berlin. Akad., 1848, p. 90 sqq.

[2]) Vide infra, p. 82.

[3]) Stephani, l. l., p. 169, n. 4.

[4]) Ann. dell' Inst., 1857, p. 344 sq.

[5]) Paus. I, 2,1.

[6]) Ep. Cyclus, I, p. 282; II, 283; Alte Denkmaeler, III, pp. 350, 356

Quae sententia, quamquam speciosa est, tamen dubitari potest, num vera sit. Primum enim Pausanias, quippe qui carmen ter[1] sine auctoris nomine conlaudet, nomen poetae qui Nostos condidit ignoravisse videtur. Accedit quod narratiuncula antiquum carmen minime redolet[2]). Postremo si fabula illa e Nostis deprompta esset, vestigia eius apud scriptores et pictores reperiri exspectaremus; quae plane nulla reperiuntur. Vas enim Londin. E 351 (873)[3]), quod Welckerus ad Themiscyrae proditionem referebat, Amazones in pugnam progredientes exhibet, neque ad rem pertinet. E quinti saeculi scriptoribus nullus est, qui aliquid simile tradit. Euripides quidem haec habet[4]):

φημὶ γάρ ποτε
σύμπλους γενέσθαι τῶνδ' ὑπασπίζων πατρὶ
ζωστῆρα Θησεῖ τὸν πολυκτόνον μέτα.

Sed nihil de Themiscyrae proditione dicit. Quod si quaeramus, unde habuerit, nobis in memoriam venit, Phidiam Theseum inter Herculis comites contra Amazones pugnantem in Jovis Olympii throno fecisse, et Panaenum in eiusdem templo Theseum et Pirithoum pinxisse[5]); quae pictura, quamquam duas solum figuras Thesei et Pirithoi eam exhibuisse verisimile est, tamen ad illum ad inferos descensum facile referri potuit, e quibus postea Hercules amicum suum eduxit. Atque cum hoc loco Euripides, postquam duo Herculis facinora, pugnam contra Amazones et Theseum ex inferis eductum, conmemoravit, verbis Ἑλλὰς πᾶσα τοῦτο μαρτυρεῖ utatur, coniectura facilis est ad ea opera in frequentissimo Graeciae templo proposita eum spectare, praesertim cum in Heraclidis eum saepius res

(ubi dicit dubium esse utrum e Nostis an ex Atthide Hegesinoi Pausanias hauserit).

¹) Paus. X, 28,7; 29,6; 30,5.

²) U. de Wilamowitz-Moellendorff, Hom. Untersuchungen, p. 342.

³) Vide infra, p. 64.

⁴) Heraclid. vss. 215 sqq.

⁵) Paus. V, 11,4—5.

eadem aetate gestas tetigisse constet. Philochorus[1]) etiam Theseum Themiscyrae pugnavisse et Antiopam virtutis praemium ab Hercule accepisse dixit; sed nihil de Amazonis erga Theseum amore tradidisse videtur[2]). Isocrates vero narrat[3]) Hippolytam amore captam Theseum secutam esse; quam ut punierent, Amazones Atticam invasisse; sed ne is quidem vel de Theseo Herculis comite vel de Themiscyrae proditione loquitur. Ceterorum scriptorum nullus, quantum scio, cum Hegia congruit[4]); alii enim dicunt Amazonem Theseum amoris causa Athenas secutam esse, alii Theseum cum Hercule Themiscyrae pugnavisse; sed nullo loco has duas res coniunctas neque quidquam de Themiscyrae proditione reperimus. Itaque non possum non credere Welckerum doctissimum virum de hac re erravisse.

Jam constat carmen epicum quod Theseis nominabatur ante Cimonis aetatem exstitisse,[5]) in quo narrabatur Amazones quas Antiopa secum duxisset, Theseo eam deserturo Phaedramque ducturo, seditionem movisse et ab Hercule interfectas esse. Atque veri simile videtur in hoc carmine Antiopam amoris causa Theseum Athenas secutam, non ab eo raptam esse, nisi forte totam turmam rapuit. Raptum vero Antiopae vasorum picturae exhibent, quibuscum Pindarus[6]) et Pherecydes[7]) congruebant. Quam rem Pindarum non invenisse ex eo adparet, quod vasa duo atris figuris ornata sine dubio eius aetate antiquiora sunt. Sed utrum fabula e carmine quodam epico[8]) an

[1]) Plut. Thes. 26.

[2]) Sed hoc non prorsus certum est, cf. Kluegmann, die Amazonen in der att. Literatur und Kunst, p. 26.

[3]) Panath. 193.

[4]) Kluegmann, l. l., p. 25 sq. erravit, quod duas res, Herculis et Thesei societatem et Antiopae erga Theseum amorem, non separavit.

[5]) Plut. Thes. 28; cf. Kluegmann, l. l., p. 19 sq.

[6]) Paus. I, 2,1.

[7]) Plut. Thes. 26; Schol. Pind. Nem. V, 89. Apud Plutarchum verba *λαβεῖν αἰχμάλωτον* parum adcuratius usurpata sunt, et ad Herodorum potius quam ad Pherecydem spectant; de Hellanico cf. Tzetz. ad Lyc. 1332. Cf. Kluegmann, l. l., p. 22 sqq.

[8]) Overbeck, Mon. ed Ann. dell' Inst., 1856. p. 88.

e volgi sermone[1]) deprompta sit, cum res certis indiciis careat, quaerere omitto.

Duae igitur fabulae formae quinti saeculi initio fuisse videntur; secundum alteram Antiopam Theseum ultro Athenas secutam esse (de loco unde venerit nihil accepimus), postea seditionem excitavisse, in altera Amazones Atticam invasisse reginae raptum ulturas veri simile est. Deinde quinto saeculo, fortasse primum a Phidia, Theseus Herculis contra Amazones Themiscyrae pugnantis comes, ut gloria eius augeretur, factus est. Postea, illis de Antiopae raptu, quae herois famam macularent,[2]) reiectis, scriptores fabulas antiquiores alii aliter inter se conmiscebant; alii Theseum Amazonem virtutis praemium ab Hercule Themiscyrae accepisse dicebant; Hegias vero, alterius antiquae fabulae, in qua Antiopa amoris causa Theseo nupsisse dicebatur, ratione habita, narratiunculam illam de Themiscyrae proditione excogitavit. Haec quidem non omnia demonstrari possunt; sed melius quam ceterae coniecturae, quas usque adhuc viri docti protulerunt, variarum narrationum ortum, quas apud posteriores scriptores reperimus, explicare videntur.

Qua de re si recte iudicavimus, Hegias non ante quartum saeculum, veri similius tertio, quo saeculo narratiunculas tales amatorias adamatas fuisse scimus, floruisse statuendus est. Fortasse idem est atque Agias ille qui, velut Dercylus, Ἀργολικά scripsisse dicitur.[3]) Itaque aut ab Hagia illo qui Nostos condidit distinguendus est, aut si idem est, apud Proclum erratum aliquod est, vel, id quod mihi veri similius videtur, cum nomen Nostos liberius usitatum fuisse sciamus,[4]) auctor a quo Proclus illa de cyclo epico petiit librum recentiorem, non carmen antiquum, quod fortasse iam eius aetate perierat, excerpsit.

---

[1]) Kluegmann, l. l., p. 18.

[2]) Hac de causa Herodorus Antiopam pugna captam, non raptam fuisse narravisse videtur; cf. Kluegmann, l. l., p. 22 sqq.

[3]) Mueller, Frag. Hist. Graec., IV, p. 292. Ud. de Wilamowitz (Hom. Unters., p. 180, n. 26) parum recte, ut mihi videtur, Agiae Ἀργολικά antiquum carmen, quod Dercylus excerpserit, fuisse putat.

[4]) C. W. Mueller, de cyclo Graecorum epico, Lips., 1829 p. 126 sq.

III.

Proximum est ut ceteras picturas quae ad Amazones pertinent conligamus. In eis fere omnia quae viriles milites in aliis picturis faciunt feminae bellicosae agunt; in bellum se armantes, incedentes, equitantes, sive pedestres sive equestres pugnantes eas videmus. Has tam multas picturas hoc fere modo ordinare licet:

I. Amazones se ad pugnam parant.

(α) Vasa nigris figuris posterioris generis ornata:

Amphorae: Berol. 1846:[1]) Amazon ad dextram versa et tunica chlamydeque praedita thoracem induit, capite ad dextrum eius latus verso; cui galeam Corinthiam humili crista ornatam mulier tunica longa vestita tenet; ante eam est parma, in qua manus dextra posita est, atque hasta prope cernitur.

Campanae 448,[2]) nunc in museo Parisino servata: in media pictura Amazon armata ad dextram versa scutum humo tollit. In utraque parte Amazon armata et humili cassidis crista decorata stat ad sinistram versa; ea quae in sinistra parte posita est ad primam Amazonem respicit.

Monac. 538: pictura in collo est: sedecim Amazones exhibet, quarum tres veste Scythica, mitra, pharetra, arcu praeditae sunt; de altera vasis pictura cf. infra, p. 78.

Calpis Vaticana:[3]) Amazon tunica, chlamyde, casside crista humili ornata, parma instructa stat ad dextram versa; prope eam est hasta. Altera ad sinistram versa tunica, chlamyde, fascia circum caput ligata, hasta praedita cassidem dextra tenet; parma genu eius dextro adnixa est.

Lecythus Syracusana:[4]) tres Amazones inter tres columnas

[1]) Gerhard, Auserl. Vasenb., I, tab. 37 et p. 148 sqq.; Bull. dell' Inst., 1838, p. 9.

[2]) De altero vasis latere erravit Campana; Apollinem, non milites, exhibet.

[3]) Mus. Greg., II, tab. 11,3; figurae albo colore tinctae sine dubio Amazones sunt.

[4]) Benndorf, Griech. u. sicil. Vasenbilder, tab. 52,3; Arch. Anzeig., 1867, p. 114*.

Doricas depictae sunt. Prima ad dextram versa armata adstat; prope eam volitat aves; altera parmam et balteum a pariete capit; tertia ad sinistram versa scutum humo tollit.

Imbrex Athen. 225: tres Amazones sunt, quarum prima parmam duabus manibus capit, altera armata adstat, tertia parmam chlamydemque prehendit.

Imbricis fragmenta Eleusine reperta:[1]) primum fragmentum, quod ad sinistram picturae partem pertinet, Amazonem ad dextram versam exhibet, quae tuba canit; manus eius sinistra in tergo posita est; prope eam duae hastae, pannus a pariete dependens, scutum cernuntur. Alterum fragmentum ad dextram picturae partem pertinens Amazonem tunica et casside praeditam habet, quae ad sinistram versa manus extendisse videtur; post eam sunt duo scuta et gladius cum balteo. Tertium fragmentum e media pictura est. In eo Amazon ad dextram versa et Graecum in modum armata, nisi quod mitram Scythicam habet, prope equum stat, sinistra manu in eius collo posita. Post eam altera Amazon in equo ad dextram verso sedet; sub equo est canis.[2])

Imbrex Athenis reperta et in museo Parisino servata:[3]) in medio sunt duo equi ad dextram versi, quorum in uno Amazon sedet, quae peltam in tergo habet. Ante eam Amazon altera ad dextram versa parmam sinistra manu tollit, dextraque hastam tenet; prope eam pannus a pariete dependet. Post equos tertia Amazon ambabus manibus parmam sublatam tenet; prope sunt scutum et hasta et pannus a pariete dependens.

(β) Vas albis figuris ornatum:

Amphora Campanae IX—X (I), 138, nunc in museo Parisino servata, ab Andocide facta:[4]) vas creta alba circumli-

---

[1]) Ἐφημ. ἀρχ., 1885, tab. 8,1—3 et p. 175 sqq.

[2]) Vide infra, p. 78.

[3]) Dumont et Chaplain, Les céramiques de la Grèce propre, I, p. 381, no. 3.

[4]) (De Witte,) Notice sur les vases peints et à reliefs du Musée Napol. III, p. 23, no. 138; L'Art pour tous, IV, no. 960, 1099, 1100; Mit-

tum est, cuius colorem, atro pigmento ceteris eius partibus adhibito, figurae, velut in vasis rubris figuris ornatis, conservant. In media pictura Amazon tunica, mitra, pharetra munita in equo ad dextram verso sedet. Sub equo est galea Corinthia. Ante equum altera Amazon tunica, chlamyde, thorace (?), reticulo, collari, armilla, inauribus, hasta instructa et caput hedera coronata ad dextram versa est, sed ad sinistram respicit, et dextram prope equum extendit. In altera picturae parte tertia Amazon ad sinistram versa et tunica, lorica, collari, armilla, inauribus, corona ornata loricae lorum adligat; prope eam sunt parma et gladius cum balteo.

(γ) Vasa rubris figuris severi generis ornata:

Stamnus Petropol. 1357:[1]) in sinistra picturae parte Amazon ad dextram versa et tunica brevi, ocreis, thorace, hasta munita cassidem sinistram manu tenet. Sequitur altera armata, quae ad sinistram incedens respicit; post eam cassis in scabello iacet, et gladius cum balteo a pariete dependet. Postremo tertia tunica brevi, thorace, ocreis instructa et ad sinistram progrediens tuba canit, manuque sinistra cassidem tenet. Ea et fortasse ceterae inauribus armillaque ornatae sunt; omnes praeterea in capitibus fascias, ne cassides cutem terant, circumligatas habent. In utraque parte est columna Ionica, unde gladius cum balteo dependet, prope quam scutum adparet.

Hydria Monac. 4:[2]) in media pictura Amazon (*Αντιοπεα*) armata et alta cassidis crista ornata stat ad dextram versa, et tuba canit. Ante eam altera (*Hυφοπυλε*) ad dextram versa et

---

teil. d. arch. Inst. zu Athen, IV, p. 290, n. 4; Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 189, no. 2; Euphronios, p. 36. Kleinius parum recte amphoram inter vasa atris figuris ornata ponit.

[1]) Olim Campanae; Mon. ed Ann. dell' Inst., 1856, p. 37 sq.; Welcker, Alte Denkmaeler, V, p. 285 sq.

[2]) Gerhard, Auserl. Vasenb., II, tab. 103; Rapporto Volcente, p. 151, no. 374*; Mon. dell' Inst., I, tab. 27,24; Bull. dell' Inst., 1829, p. 109; Ann. dell' Inst., 1836, tab. C, 13; Panofka, Namen der Vasenbildner (Abhandl. Berl. Akad., 1848) tab. 1, 5 et p. 165; Arch. Zeit., 1884, p. 252; Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 198, no. 1.

tunica, ocreis, casside praedita manu dextra gladium cum balteo tenet, sinistra scutum sublatura; ea ad sinistram respicit. Prope eam est hasta. In altera parte tertia (*Ανδρομαχε*) ad dextram versa et tunica, fascia, gladio instructa dextra cassidem, hastram sinistra tenet, et scutum genui sinistro adnixum habet.

Lecythus Londin. E 639 (748): Amazon ad dextram versa et ad sinistram respiciens ante sellam quandam, in qua vestes positae sunt, Graecum in modum armata stat.

*Oenochoa Bononiensis: [1]) tres Amazones Scythicum in modum vestitae, quarum una mitram, alia hastam tenet.

Paterae: Vaticana: [2]) in uno latere Amazon armata et ad sinistram versa scutum sublevatura est: in altero latere similis figura incurva signum tuba dat.

Vaticana altera: [3]) pictura in interiore parte est: Amazon armata et ad sinistram incedens tuba canit.

Londin. E 10 (834), [4]) a Pamphaeo facta: in sinistra picturae parte Amazon armata et ad dextram versa scutum humo tollit; altera Scythica armatura praedita sinistrorsum progreditur, ad tertiam respiciens, quae Graecum in modum instructa sequitur; quarta ad dextram versa tunica, fascia, ocrea una munita, alteram ocream sibi adcommodat; ante eam quinta iam armata stat ad sinistram versa et hasta nixa; deinde sexta Scythicum in modum armata et ad dextram versa ad septimam respicit, quae armata scutum tollit.

Fortasse etiam Amazones sunt in fragmento *Neapol. Cu-

---

[1]) Bull. dell' Inst., 1878, p. 238, no. 36. Asterisco notavi vasa rubris figuris ornata quae dubito utrum ad severum an ad pulchrum genus referenda sint.

[2]) Mus. Greg., II, tab. 69, 3b et 3c; Klein, Euphronios, p. 297, 299, cf. p. 299, no. 13.

[3]) Mus. Greg , II, tab. 69, 2a; Klein, l. l., pp. 289, 304, n.

[4]) Archaeologia, XXIX, tab. 16 et p. 134 sqq.; Gerhard, Auserl. Vasenb., III, tabb. 221—222; Panofka, Der Vasenbildner Panphaios, tab. 4 et p. 220; Wiener Vorlegeblaetter, D, tab. 3; Klein, Euphronios, p. 273; Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 94, no. 20.

man. 158; servatae sunt inferiores partes figurae armatae, quae dextram manum tollit, et alterae figurae bracis vestitae; inter eas pharetra, arcus, mitra humi iacent.

Sed in catillo olim Feolii[1]) credo atram figuram Scythica veste instructam, quae ad sinistram versa tuba canit, virum potius quam Amazonem esse. Similis, nisi forte idem, est catillus Londin. B 633.

II. Amazon epheborum sacramentum dicit.

Olpa atris figuris ornata Monac. 687:[2]) Amazon bracis et veste manicata et mitra praedita ante aram manus tollens stat; post eam sunt scutum et res aratri similis.

Fortasse ad eandem rem, ita ut sacramento iam dicto abeat Amazon, referenda est parva hydria atris figuris ornata Londin. B 123; Amazon armata dextrorsum currens ad aram, in qua lebes super ignem positus est, respicit; ante eam posteriores canis(?) partes videntur.

III. Amazones armatae stant, vel in pugnam progrediuntur.

(α) Vas Chalcidicum (?):

Amphora (?) olim principis Canino 1499:[3]) in utroque latere Amazon armata est; inscriptum *'Ανδρομάχη* esse videtur, signo ꓦ pro χ posito.

(β) Vasa Attica antiquissimi generis:

Amphorae: Monac. 174:[4]) Amazon Graecum in modum armata (crista in casside humilis est) ad dextram currens respicit. In utraque parte sunt gallus et sphinx.

---

[1]) Micali, Storia, tab. 100, 4 et III, p. 181; Gerhard, Auserl. Vasenb., II, p. 57, n. 3. Praeterea dubitari potest, utrum figurae arcum tendentes in pateris rubris figuris ornatis Vatican. (Mus. Greg., II, tab. 74,2) et Bonon. (Bull dell' Inst., 1878, p. 238, no. 32) Amazones an Scythae sint.

[2]) Kluegmann, Die Amazonen in der att. Litteratur u. Kunst, p. 53 sq.

[3]) CIG. 7580; Kramer, Ueber den Styl und die Herkunft der bemalten griech. Tongefaesse, p. 62. Gerhard., Rapporto Volcente, p. 151, no. 374* ad hanc picturam, numero 1499 pro 1699 posito, spectare videtur.

[4]) Graphis in bibliotheca musei Berol., XIII, 3.

Virceb. 83: Amazon armata inter animalium figuris posita est.

(γ) Vasa Attica atris figuris posterioris generis ornata:

Amphorae: olim Campanarii:[1]) quinque Amazones in pugnam currunt; cf. supra, p. 20.

Thorvaldseni 40: Amazon in pugnam it; in utraque parte figura palliata adspectat.

Oenochoae: Campanae 993, nunc in museo Parisino servata: Amazon ocreis, tunica, chlamyde, mitra Scythica, parma, hasta instructa ad dextram iens respicit.

Feolii 92: duae Amazones armatae sunt.

Londin. B 456 (653):[2]) Amazon incedens respicit, prope eam est canis (?).

Londin. B. 500 (634): duae Amazones altera ab alterius latere incedentes respiciunt. Altera earum collari ornata est.

Londin. B 477: Amazon tunica brevi, mitra, securi, arcu, hasta, pharetra instructa ad dextram vadens ad alteram respicit, quae simili armatura, nisi quod hastam non habet, munita sequitur.

Monac. 1361: Amazon ad alteram respicit; inter eas est canis, super quem fascia vel pannus videtur, quo Amazones nondum e domo profectas esse indicatur.

Parisina, in museo publico servata: Amazon mitrata et incurvata ad dextram progreditur.

Olpa Campanae 360, nunc in museo Parisino: Amazon Scythicum in modum armata et dextra duas hastas, arcum sinistra tenens ad dextram incedit; prope eam est canis.

Lecythi: Athen. 265: tres Amazones ad dextram progrediuntur.

Durandi 355: tres Amazones ad quartam, quae tuba canit, adcedunt.

Parisina, in nummotheca (4885) servata: Amazon ad dextram

[1]) Broendsted, A brief description of 32 ancient vases, no. 28.

[2]) Durandi 353; catalogi auctor animal pro leone habuit, sed leo hoc loco sensu plane caret.

versa et tunica, casside, pharetra praedita manum sinistram extendit, dextra in pharetra posita; post eam altera eodem modo instructa, dextram in pharetra, sinistram in primae figurae lacerto dextro ponit; sequitur tertia similis figura, quae manum sinistram extendit.

Petropol. 235: tres Amazones tunicis, cassidibus, hastis, pharetris instructae ad dextram euntes respiciunt.

Fortasse etiam Amazones sunt figurae peltis armatae in patera Bononiensi [1]) et in lecytho Thorvaldseni 60, praeterea figura Scythica veste, arcu, securi instructo in scypho olim Paraveii, no. 27.

(*δ*) Vasa rubris figuris severi generis ornata:

Amphorae: Aretina: [2]) quattuor Amazones, quarum una Scythicum in modum instructa est, ad sinistram currunt; duae primae dextras quasi mirantes levant.

Campanae XI, (K), 5, [3]) nunc in museo Parisino servata; in uno latere Amazon bracis, veste manicata, mitra Phrygia hedera ornata, securi, arcu, pharetra instructa stat ad sinistram versa. In altera latere altera Amazon bracis, veste manicata, mitra hedera ornata, collari, sagitta (?) praedita ad dextram progreditur; cuius figurae, teste Pottiero, nihil est nisi caput, quod refectum non sit. Inscriptiones *Αντοξενος* et *Ευφρονιος* sunt, ita ut ab Euphronio vas pictum esse videatur, quod si verum est, Antoxenus fortasse figulus erat.

Londin. E 351 (873): [4]) Amazon bracis, veste manicata, super

---

1) Bull. dell' Inst., 1879, p. 222.

2) Cf. supra, p. 29 sq.

3) Klein, Euphronios, p. 261; is figuras pro viris habuit; et dubitat num vas inter Euphronii opera recipiendum sit, nomenque Antoxenum ad figuram refert.

4) Millingen, Ancient Unedited Monuments, I, tab. 19; Welcker, Alte Denkmaeler, III, tab. 22,1 et p. 350, et Gerhard, Hyperbor.-Roem. Studien, I, p. 305 sqq., et Bull. dell' Inst., 1833, p. 150 sq.; Inghirami, Pitture di vasi fittili, II, tab. 168; Panofka, Recherches sur les noms des vases, tab. 8,4; Klein, Griech. Vasen mit Lieblingsinschr., p. 77; Kluegmann (Ann. dell' Inst., 1867, p. 214) vas parum recte ad pulchram genus retulit;

quam tunicam et loricam habet, mitra, arcu, securi instructa, sinistrorsum vadens ad alteram respicit, quae currens sequitur; ea hoplitae armatura instructa est; qua decepti Millingenus et Welckerus eam pro Theseo ab Antiopa in Themiscyram introducto habebant. Sed cum saepius in picturis Amazon Scythica veste praedita cum altera Graecum in modum armata consociata sit, non dubium est, quin figura Amazon sit. In altero vasis latere Amazon Scythicam vestem induta et hasta scutoque armata ad sinistram currit.

Amphora (?) Urbibenti reperta [1]) etiam tres Amazones exhibet, nisi forte cum pictura in altero latere posita coniungendae sunt figurae; cf. supra, p. 28.

Paterae: Clusina [2]): pictura in interiore parte est: duae Amazones ad sinistram currunt, quarum una Scythicum in modum instructa est.

Londin. E 15 (815*) [3]), a Cachrylione facta: pictura in interiore parte est: Amazon Graecum in modum armata, nisi quod peltam pro scuto habet, ad sinistram progreditur; inauribus ornata est.

Londin. E. 51 (820) [4]) (in interiore parte): duae Amazones, Hippolyte (inscr.) Graecum in modum armata et Thero (inscr.) Scythica veste praedita ad sinistram una ab alterius latere currunt. De aliis picturis cf. supra, p. 30, infra, p. 74.

Monac. 273: pictura in interiore parte est: Amazon bracis, veste manicata, mitra, pharetra instructa et dextra securem sublatam, arcum sinistra tenens incurva progreditur.

---

oculi enim non recte delineati sunt, quamquam in ceteris rebus figurae liberioris artis sunt.

[1]) Bull. dell' Inst., 1875, 131.

[2]) Mitteil. d. arch. Inst., röm. Abteilung, 1887, p. 158, no. 5; Klein, Griech. Vasen mit Lieblingsinschr., p. 53. Vas nunc Baltimorae servatum est.

[3]) Durandi 352; Wiener Vorlegeblaetter, D, tab. 7; Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 126, no. 6.

[4]) Durandi 293.

Vaticana[1]): pictura in interiore parte est: Amazon tunica brevi, thorace, longa chlamyde in tergo dependente, mitra, pelta, hasta instructa ad dextram incedit.

Catillus Paraveii 79, nunc in museo Parisino servatus[2]), a Cachrylione factus: Amazon Scythica veste praedita et sinistra manu arcum et duas sagittas, dextra securim tenens dextrorsum vadit.

IV. Amazon hošti insidiatur.

*Patera Virceb.,[3]) rubris figuris ornata: pictura in interiore parte est: Amazon Graecum in modum armata est.

V. Amazones pedestres cum militibus pedestribus pugnant.

Picturae quas hoc loco conmemoraturi sumus in universum earum quibus Herculis pugna inlustratur, pro figura Herculis alio milite posito, similes sunt. In eis saepius, sed non semper, Amazones superatas vidimus; quod indoli earum muliebri[4]) non tam deberi credo quam fabulis, in quibus omnibus Amazonum populus victus adparet, ita ut pictores, etiamsi nullam certam fabulam in mentibus haberent, tamen Amazonibus quodam modo superatorum populorum partes adsignarent.

Quas picturas viri docti ad Achillis et Penthesileae pugnam saepe referunt. Sunt quidem duo vasa (Londin. B 213, infra, p. 61, et Monac. 478, infra, p. 80) in quibus Achillis et Penthesileae nomina inscripta sunt. Sed cum in altera pictura pedestres, in altera equestres figurae sint, constantem et fixam fabulae inlustrandae rationem nullam fuisse manifestum est. Atque cum in Aethiopide, e quo carmine fabula illa hausta est, Penthesilea equo in pugna usa esse, ut infra videbimus, usque adhuc non demonstrata sit, pictor alterius vasis nomina figuris, quae re

---

[1]) Mus. Greg., II, tab. 69,1; Klein, Euphronios, p. 304.

[2]) Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 125, no. 1.

[3]) Urlichs, Verzeichniss der Antikensammlung der Univ. Wuerzburg, 1865, p. 50, no. 87; Bull. dell' Inst., 1860, p. 35 sq.

[4]) Ita Kluegmann., Ann. dell' Inst., 1874, p. 205. Praeterea picturae in quibus Amazones victrices sunt plures, quam putavit vir doctus, esse videntur.

vera ad nullam certam fabulam referendae essent, libidine connmotus adscripsisse videtur[1]. Quod si in uno ex duobus vasis nomina ad libidinem figuris adhibita sunt, veri dissimile est alium pictorem fere eiusdem aetatis alias rationes secutum esse. Atque cum pictores saepius Amazones se armantes, incedentes, alia quae ad bellum pertinent agentes depinxisse, quas picturas ad fabulam certam vix quisquam referre vellet, videamus, causa non est, cur in pugnis Amazonum depingendis eodem modo eos nullius fabulae rationem habuisse non credamus. Immo vero, etiam si ad fabulam aliquam referendae essent picturae, ad Achillis pugnam omnes referri non deberent. Pictores enim pugnae apud Themiscyram conmissae, de qua singulas res quae in illo antiquo carmine narrabantur fere nullas scimus, momentum temporis, quo ipse Hercules a pugna aberat, velut id quo Telamon Melanippam interficiebat, inlustrare voluisse possunt. Sed in re incerta sapientius facies, si nulla nomina figuris dabis, praesertim cum ipsos pictores saepe nulla certa nomina, ut e picturis in quibus Amazon victrix est, quae ad fabulam nullam referendae videntur, satis adparet, in mentibus habuisse verisimile sit[2].

Venimus nunc ad picturas ipsas, quas ita distribuere licet:

(*a*) Vas Chalcidicum (?):

Amphora Virceb. 265[3]: cum loti floribus et calycibus ornata sit, suspicor eam Chalcidicam esse: in figuris rubrum pigmentum multum est; animalium imagines desunt. Cum vas ipse non viderim, et Urlichsius in descriptione omnes figuras pro viris habuerit, postea[4] autem, errato intellecto, nonnullas earum Ama-

---

[1]) Cf. Overbeck., Gallerie heroischer Bildwerke, p. 501.

[2]) Cf. ea quae hac de re Kluegmannus dixit, Ann. dell' Inst., 1867, p. 218, sq.; 1874, 213.

[3]) Campanari, Antichi vasi dipinti delle collezione Feoli, no. 91; Stephani, Compte Rendu pour 1866, p. 168. Qui viri docti ululae figura et inscriptione, quam ad Thesei nomen referebant, adducti picturam ad Thesei et Antiopae pugnam pertinere parum recte putaverunt; nam in tam antiquo vase pugna illa depicta fuisse nequit.

[4]) Verzeichniss der Antikensammlung der Univ. Wuerzburg, 1872, p. 114.

zones videri dixerit, picturam adcuratius describere non possum. In uno latere vir Amazoni, ut videtur, genu nixae hastam intendit; prope eos sunt ulula et litterae X > Θ. In dextra parte vir (?), quamquam nullum hostem habet, hastam intentam tenet. In altero vasis latere figura pectus alterius figurae hasta transfodit; ea gladio se defendere conatur; deinde duae figurae super tertiam vulneratam pugnant; postremo quattuor figurae, quarum prima manu sinistra hostis cassidem tenens et pedem dextrum in eo positura hasta eum percutit; ad eas respicit vir barbatus et armis non instructus, quartaque figura auxilium fert.

(β) Vasa Attica antiquissima:

Amphorae: Campanae 1080, nunc in museo Parisino servata [1]): in media pictura miles ad dextram versus cum adversa Amazone pugnat; ea tunica brevi, ocreis, gladio, casside cristo humili ornata, parma, hasta instructa est. In dextra parte Amazon ad dextram versa et eodem modo armata hastam in militem intendit, qui ad dextram versus et genibus nixus respicit et se defendere conatur; tertia etiam Amazon, tunica, super quam pellem habet, ocreis, mitra (?), parma munita ad sinistram currens hastam ei intendit. In altera picturae parte miles ad sinistram versus hasta Amazonem percussurus est; ea tunica, ocreis, gladio, casside humili crista ornata, parma praedita ad dextram versa est, sed genu nixa respicit, ut hasta feriat alium militem, qui ad dextram versus hastam ei intendit.

Fontanae [2]): in media pictura tres Amazones, quarum una alterius genu nixae scutum hasta feriat, tertia dextram, quasi hastam iactura, tollens adcurrat, inter se pugnare dicit Hoernesius. Quod cum incredibile sit, aut eum erravisse aut albo pigmento unam vel duas virorum figuras refectorem coloravisse verisimile est. In sinistra parte duos viros hastis inter se pugnare dicit; quarum figurarum una sine dubio Amazon est.

---

[1]) Dumont et Chaplain, l. l., p. 330.

[2]) Arch.-epigr. Mitteil. aus Oesterreich, II, p. 20, no. 1 (Hoernes); Arch. Anzeig., 1853, p. 401, no. 6; Denkschriften der Wiener Akademie, I, p. 288, 3.

Inter eas est avis. In dextra picturae parte miles Amazonem, quae fugiens genu nititur, hasta percussurus est.

Lugdunobatav. 1624[1]): Amazon cum duobus militibus pugnat. Inter sphinges positae sunt figurae.

Amphora etiam Napoleonis III[2]), cuius descriptionem adcuratiorem non repperi, hoc loco conmemoranda videtur.

Lecythus Berol. 3992[3]): miles ad dextram contendens et hastam (quam pictor omisit) intentans cum Amazone, quae ad sinistram versa et genu dextro nixa hasta (et haec omissa) se defendit, super iuvenem humi cubantem pugnat; in utraque parte iuvenis pugnam adspicit.

Postremo hoc loco conmemoro amphoram Campanae 1123, nunc in museo Parisino servatam[4]), quam ego quidem, quamquam picturam explicare adhuc non possum, Amazones exhibere non puto. In media pictura miles ad sinistram versus genu et bracchio sinistro nititur; quem duo viri in dextra picturae parte positi protegere conantur. In altera parte vir barbatus et tunica, pelle, casside, pharetra, gladio instructus dextrorsum currens sagittam in milites mittit; sequitur femina, ut corpus albo pigmento coloratum docet, similem in modum armata, nisi quod pellem non habet, quae etiam sagittam mittit; deinde alter vir item sagittam mittit, quem sequitur altera femina similiter instructa, nisi quod pharetra carere videtur; postrema figura partim refecta est. Quae feminae, cum duae Amazones arcu instructae in tam antiquo vase permirae sint, atque cum viris Amazones sociis in picturis non utantur, Amazones esse vix possunt, quamquam, ut dixi, explicationem in promptu non habeo.

(γ) Vasa Attica atris figuris posterioris generis ornata:

(1) Hoplites ad dextram versus hastam Amazoni intendit;

---

1) Olim principis Canino.

2) (De Witte) Notice sur les vases peints et à reliefs du Musée Napol. III, p. 15, no. 26.

3) Arch. Zeit., 1884, p. 66.

4) Dumont et Chaplain, l. l., p. 333, n. 1.

ea, velut in Herculis pugnae picturis, vel fugit vel genu uno aut duobus nititur. Saepe hasta se defendit.

Amphorae: Bazzichellii[1]): de altero eius latere vide supra, p. 22.

Campanae VIII, 53, nunc in museo Parisino servata: vas eorum quae Nicosthenes faciebat simile est; in altero latere miles hastam nondum intentam tenens Amazonem persequitur; in altero similis est pictura, nisi quod miles hastam intentat.

Londin. B 213 (554),[2]) ab Execia facta: Amazon pellem super tunicam gerit, et collari ornata est; e collo eius sanguis profluit. Nomina *Αχιλευς* et *Πενθεσιλεα* inscripta sunt.

Londin. B 188 (554*)[3]): Amazon collari ornata est.

Monac. 1366.

Olim Napoleonis III[4]): amphora Nicosthenis operum similis.

Petropol. 253.

Olpa olim Oppermanni, nunc Parisiis in nummotheca (49) servata[5]).

Paterae: Monac. 418[6]): pictura in interiore parte est; pro casside Amazon capitis animalis pellem simul cum cornibus gerere dicitur.

---

[1]) Bull. dell' Inst., 1859, p. 132.

[2]) Durandi 389; Gerhard, Auserl. Vasenb., III, tab. 206; Panofka, Namen der Vasenbildner, tab. 2,8; Wiener Vorlegeblaetter, 1888, tab. 6,2a; Overbeck, Gallerie heroischer Bildwerke, tab. 21,6 et p. 500; Zeitschr. fuer Altertumswissenschaft, 1850, p. 292; Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 39, no. 2.

[3]) Gerhard, Auserl. Vasenb., III, tab. 207; Arch. Zeit., 1846, tab. 39 et p. 237; Overbeck, l. l., p. 499 sq.; Zeitschr. fuer Altertumswissenschaft, 1850, p. 291; Arch. Zeit, 1881, p. 31; Klein, l. l., p. 43, no. 2; Wiener Vorlegeblaetter, 1889, tab. 3,3a.

[4]) (De Witte), Notice sur les vases peints et à reliefs du Musée Napol. III, p. 28, no. 52.

[5]) Olpa Campanae 1065 non recte dicitur nigris figuris ornata esse; figurae rubrae pulchri generis sunt; cf. Ann. dell' Inst., 1874, p. 207. Vas nunc in museo Parisino conservatum est.

[6]) Réserve Etrusque, p. 19, no. 2.

Monac. 1029: pictura in exteriore parte est.

Monac. 1099: pictura in interiore parte est; quod in spatium ut figurae convenirent, et miles et Amazon genu nixi descripti sunt; ille gladio pro hasta utitur, atque Amazonis cervices prehendit.

Passerinii[1]): in interiore parte; ut in priore pictura, duae figurae genu nituntur.

Denique nescio an fragmentum amphorae Panathenaicae[2]), in quo Amazon et miles super columnam positi sunt, ad posterius tempus pertineat.

(2) Duabus illis figuris accedit iuvenis spectator post Amazonem positus.

Olpa Monac. 393: Amazon inauribus ornata est.

(3) Duabus illis figuris vir vel iuvenis, qui pugnam adspicit, in utraque parte additur.

Amphorae: Berol. 1863[3]).

Petropol. 122[4]).

Oenochoa Virceb. 408: miles pro hasta gladio utitur.

Lecythi: Parisina, in museo publico servata, in qua nonnulla refecta sunt.

Tergestina, in museo publico[5]): miles et Amazon pelles super tunicas habent.

(4) Duabus illis figuris accedit alter miles, qui ad sinistram versus hasta intenta primum militem adiuvat,

Amphora Neapol. Sanct. Angel. 143.

Amphora Suessulana[6]) videtur ad hanc classem referenda; de altero latere, cf. supra p. 14.

Cyathus Virceb. 217: nescio an Amazon adversum primum militem stet, non ante eum fugiat.

---

[1]) Bull. dell' Inst., 1879, p. 239.

[2]) Bulletin de correspondance Hellenique, I., p. 216, no. 1.

[3]) Arch. Zeit., 1848, tab. 13,3 et p. 211; Gerhard, Auserl. Vasenb., II, p. 147, no. 48.

[4]) Campanae 141.

[5]) Arch.-epigr. Mitteil. aus Oesterreich, III, p. 65, no. C, 8.

[6]) Mitteil. des arch. Inst., roem. Abteil., 1887, p. 260.

(4a) Tribus his figuris accedunt adspicientium figurae.

Amphora Drakii[1]): in utraque parte vir, deinde hic puer nudus, illic vir in ὀκλαδίᾳ sedens. Et hic Amazon stare, non fugere dicitur.

(4b) Tribus his figuris accedit in utraque parte Amazon, quae pugna respiciens abit.

Hydria Campanae 209, nunc in museo Parisino servata: pictura in superiore parte est: prima Amazon bracis (?), veste manicata, mitra, pharetra, hasta instructa est; Amazon in dextra parte posita Graecum in modum (cassis eius humili crista ornata est) armata, tertia Scythica veste, pharetra, hasta praedita est; ea dextram quasi obstupefacta tollit.

(5) Duabus illis figuris miles accedit, qui hastam, quamquam hostem non habet, intentam tenet.

Patera olim Magnoncouri 56:[2]) alter miles in sinistra parte est; de altero vasis latere vide infra, p. 81.

(6) Duabus illis figuris Amazones duae auxilium ferrentes adduntur.

Amphora olim Politii:[3]) miles gladio utitur.

(7) Miles ad sinistram versus contra Amazonem cadentem pugnat; altera Amazon ad dextram versa amicam protegit.

Patera Londin. B 315:[4]) figura quae cadit Amazon est, ut cassis alta crista ornata docet; de altera huius vasis pictura vide supra, p. 26.

(8) Amazon cum adverso milite super militem vulneratum pugnat.

Amphora Monac. 88: de altero latere vide infra, p. 71.

(9) Amazon militem persequitur, vel interficit.

Amphora olim Herzii.[5])

---

[1]) Burlington Fine Arts Club, Catalogue of Objects of Greek Ceramic Art, 1888, no. 84.

[2]) De Witte, Descriptions des vases peints ... de M. de M***, Par., 1839.

[3]) Bull. dell' Inst., 1871, p. 256.

[4]) Mon. dell' Inst., IX, tab. 11. Schoenius figuram cadentem militem esse putavit (Ann. dell' Inst., 1869, p. 249).

[5]) Catalogue of the Collection of Antiquities formed by B. Hertz, Lond.,

Oenochoa Virceb. 217: Amazon mitrata est.

(10) Duae Amazones militem, qui inter eas humi iacet, hastis percutiunt.

Oenochoa Monac. 424: una Amazon pedem in hostem imponit.

(11) Duo dimicantium paria sunt.

Amphora Neapol. Cuman. 204: una Amazonum humum iam cecidit.

(12) Picturae quae conplures dimicantium figuras continent:

Amphora musei Sèvres 57:[1]) figurae in duobus lateribus sine disiunctione depictae sunt. In uno latere miles ad sinistram versus cum adversa Amazone (collare; crista humilis) super militem vulneratum vel mortuum pugnat. Inter eos altera Amazon bracis, veste manicata, mitra, pharetra instructa et dextra manu securim iactans ad sinistram super corpus illud transsilit. In dextra parte tertia Amazon ad dextram versa (crista humilis) quartam cadentem (collare) hasta et parma defendit, quamquam hostis nullus adest; ea, corpore ad sinistram verso, bracchio sinistro nitens caput retro vertit. In sinistra parte sub ansa miles barbatus dextrorsum currens et in genu cadens ad alterum militem barbatum, qui in altero vasis latere depictus eum insequitur, respicit; in eo latere sunt quattuor figurae aliae, quarum tres Amazonum in altero latere similes sunt. Sed, cum partes corporum nudae albo colore nunquam tinctae fuisse videantur,[2]) figurae autem in altero latere albo coloratae sint, credo eas viros esse. Idem docet id, quod duae figurae barbatae inter se sub ansa pugnantes in Amazonum cum viris pugnam omnino non conveniunt. Itaque figurae in duas picturas

1851, p. 116, no. 39; Catalogue of the Collection of Antiquities formed by B Hertz, now the property of J. Mayer, Lond., 1859, no. 376.

[1]) Millin et Dubois-Maisonneuve, Peintures de vases antiques, II, tab. 29; Inghirami, Pitture di vasi fittili, II, tab. 128; Millin, Gall. Mythol., 594; Brogniart, Description du musée céramique de Sèvres, tab. 27,10 et p. 102, n. 44.

[2]) Id ex eo adparet, quod pigmentum album quo arma figurarum depicta sunt optime servatum est.

distribuendae videntur, quarum altera pugnam Amazonum cum viris, altera pugnam virorum inter se dimicantium exhibet; quo modo Inghiramius forte, ut adparet, potius quam consulto fecit. Neque obstat, quod picturae nullo modo disiunctae sunt; similia enim alibi reperimus.[1]) Similitudo vero figurarum illarum et Amazonum mira est. Quae fortasse ita explicanda est, ut pictor Amazones in utroque latere describere primum voluerit, tum consilio mutato, viros inter se pugnantes in altera pictura fecerit.

Hydria Londin. B 107 (472):[2]) in media pictura miles barbatus Amazonis mortui corpus humeris ad dextram portat; ea tunica brevi, thorace, gladio, armilla, ἐπισφυρίῳ praedita est; prope eos est scutum Amazonis, ut videtur. Alter miles antecedens respicit, quocum sagittarius barbatus incedit. In altera parte miles Amazonem, quae hastam confractam dextra tenens supina casura est, hasta percutit; ei ad dextram versae in humero pedem, ut eam deprimat, posuit. Quam picturam de Wittius Achillem Penthesileae corpus auferentem esse putavit, Overbeckius ad Thesei pugnam referre vult. At Theseus cum Amazonibus pugnans in picturis tam antiquis non reperitur; atque cum in Aethiopide Achillem corpus Penthesileae, quam secundum Proclum Troiani sepeliverunt, abstulisse non veri simile sit, etiam altera sententia falsa videtur. Pictura igitur militem Amazonem trucidatam, ut eam victorum more spoliet, asportantem exhibet.

Paterae: Campanae 1127: in utroque latere tres milites cum tribus Amazonibus pugnant; sub utraque ansa avis humano capite praedita.

Olim principis Canino:[3]) una et viginti figurae sunt.

Virceb.:[4]) octa paria hastis proeliantur; prope unum par alter miles hastam vibrat.

---

[1]) Cf. Mon. dell' Inst., XII, tab. 9; Mus. Greg., II, tab. 44,1 (v. supra, p. 26).

[2]) Durandi 390; Overbeck, Gall. her. Bildw., p. 505.

[3]) Rés. Etr., p. 20, no. 5.

[4]) Verzeichniss der Antikensamml. der Univ. Wuerzburg, 1865, p. 52, no. 104.

Vaticana:[1]) in uno latere Amazon ad sinistram versa cum adverso milite pugnat; post eum simile dimicantium par; in altera parte miles ad dextram versus Amazonis pectus hasta confodit; ea ad sinistram versa cadens hasta se defendere conatur. Sub utraque ansa est avis humano capite praedita. In altero latere Amazon ad sinistram versa in hostem adversum hastam intendit; in sinistra parte Amazon et miles similiter inter se pugnant; in altera parte, Amazon ad dextram versa hastam militi ad sinistram verso et in genu casuro intentat.

Similis pictura erat in patera, cuius fragmentum in museo Bocchiano servatum est:[2]) miles ad dextram versus Amazonem, cuius nihil nisi pes superest, hasta transfigit.

Etiam in museo Bocchiano sunt fragmenta vasis incertae formae, quae similem picturam exhibent:[3]) in uno sunt partes Amazonis, quae ad sinistram versa hastam vibrat; in altero sunt inferiores duarum Amazonum partes, quae una ad sisnitram progrediens, altera ad dextram versa hastas intentas habuisse videntur. In tertio frustulo miles ad dextram versus partim servatus est.

Postremo incertum est ad quam classem haec referenda sint:

Amphora a Nicosthene facta:[4]) Amazon et miles inter se pugnant, femina et equite in utraque parte adspectantibus.

Olpa Durandi 349: miles cum duabus Amazonibus dimicat.

Lecythi Lugdunobat 1733[5]) et 1734: duae Amazones sunt.

Trulla a Nicosthene facta:[6]) miles et Amazon, adstante in utraque parte viro, qui equum tenet, in altera parte etiam altero milite, inter se proeliantur.

---

[1]) Mus. Greg., II, tab. 67.

[2]) Schoene, Museo Bocchi di Adria, no. 105.

[3]) Schoene, l. l., no. 9.

[4]) Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 58, no. 17; Bull. dell' Inst., 1865, p. 146.

[5]) Principis Canino, 1572 (?); cf. Gerhard., Auserl. Vasenb., II, p. 57, n. 4.

[6]) Klein, l. l., p. 67, no. 55; Bull. dell' Inst., 1865, p. 147.

(δ) Vasa Attica rubris figuris severi generis ornata:

(1) Amazon et miles aequo Marte inter se pugnant.

*Patera Jattae 1390: in uno latere miles contra Amazonem veste Scythica (?) et scuto instructam et hastam vibrantem gladio pugnat; in altero latere miles Amazoni, quae contra eum sagittam mittit, hastam intendit.

(2) Amazon a milite superatur.[1])

Calpis olim Romae apud mercatorem quendam:[2]) iuvenis ad dextram contendens gladio Amazonem tunica et mitra Scythica et arcu praeditam invadit; ea ad sinistram versa et genu nixa manum dextram precans extendit.

Paterae: Luynesii:[3]) pictura partim deperdita in interiore parte est: miles ad dextram versus Amazonem tunica, casside, pharetra, arcu instructam hasta percutit; ea ad sinistram versa et genibus manuque sinistra nitens, dextram precans tollit.

*Perusina:[4]) pictura in interiore parte est: miles dextrorsum contendens Amazonem, quam manu sinistra conprehensam tenet, gladio trucidaturus est; ea bracis, tunica, mitra, arcu instructa fugiens respicit.

(3) Duo milites contra duas Amazones pugnant.

Patera Londin. E 34 (833):[5]) miles ad sinistram versus Amazonis Scythicum in modum instructae collum gladio perfodit; ea supina cadens dextra manu nititur, et capite averso

---

[1]) Crateram olim Politii (Due parole su tre vasi fittili, Panorm., 1833; cf. Bull dell' Inst., 1834, p. 59 et Ann. dell' Inst., 1835, pp. 35, 40) omisi; videtur, quamquam nihil adcuratius de ea reperire potui, ad posteriorem aetatem pertinere.

[2]) Gerhard, Auserl. Vasenb., III, tab. 165,1; cf. Ann. dell' Inst., 1874, p. 215.

[3]) Mon. dell' Inst., II, tab. 11; Ann. dell' Inst., 1834, p. 297; 1874, p. 215; Overbeck, Gall. her. Bildw., tab. 21,7 et p. 501 sq.; Zeitschr. fuer Altertumswissenschaft, 1850, p. 292 sq.

[4]) Heydemann, Mitteilungen aus den Antikensammlungen in Ober- und Mittel-Italien, p. 114, no. 16.

[5]) Principis Canino 1617; Jahn, Dichter auf Vasen, p. 757, no. 3; Panofka, Eigennamen mit καλός, p. 95, no. 248, Klein, l. l., p. 120, no. 10; Klein, Griech. Vasen mit Lieblingsinschr., p. 33.

sinistram quasi precans extendit; sanguis ei e vulnere profluit; in sinistra parte miles alter ad sinistram currens alteram Amazonem Graecum in modum armatam persequitur; ea in genu cadens respicit, et hasta se defendere conatur.

(4) Amazon sagittam e pharetra educit.

Catillus Londin. E 66 (987),[1]) ab Epicteto pictus: Amazon, nisi forte vir est, Scythicum in modum instructa ad sinistram currit, et respiciens sagittam e pharetra educit; arcum sinistra tenet.

(5) Amazon sagittam mittit.

Patera Londin. E 5 (841)[2]), ab Hischylo facta: Amazon, nisi forte Scythes est, ad dextram versa veste Scythica, mitra, pharetra munita est.

VI. Amazones pedestres cum equitibus dimicant.

Vasa Attica atris figuris posterioris generis ornata:

Patera Monac. 971: in utroque latere sex Amazones cum totidem equitibus hastis pugnant.

Praeterea ad hanc classem fortasse referenda est amphora Nicosthenis Vindobonae in museo Austriaco servata:[3]) in utroque latere Amazon inter duos equites posita sagittam mittit; qui utrum adspectent, an re vera pugnent, dubito.

Sed in dino Neapol. Cuman. 208,[4]) qui sedecim milites, quorum conplures mitrati sunt, cum decem equitibus pugnantes exhibet, causa non est, cur Amazones depictas esse credamus.

VII. Amazones pedestres ante hostes curru vectos fugiunt.

Vasa Attica nigris figuris posterioris generis ornata:

(1) Duo viri in curru sunt; Amazon plerumque respicit.

---

[1]) De Witte, Description d'une collection de vases peints et bronzes antiques provenant des fouilles de l'Etrurie, Par., 1837, no. 117; Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 105, no. 14.

[2]) Principis Canino 558; Klein, l. l., p. 99.

[3]) Klein, l. l., p. 58, no. 20; Bull. dell' Inst., 1865, p. 146.

[4]) Fiorelli, Notizia dei vasi dipinti rinvenuti a Cuma nel anno 1856 tab. 13 et p. 20; Bull. Napol., N. S., V, tab. 10,17 et p. 141.

Amphorae: Petropol. 152: currus sinistrorsum vehitur.

Virceb. 424.[1])

Oenochoa Monac. 1137.

Poculi fragmentum in museo Bocchiano servatum:[2]) Amazon ad dextram contendens mitra Scythica, tunica, balteo instructa est.

(2) In curru auriga stat; alter miles pedibus Amazonem persequitur.

Amphora parva olim Castellanii.[3])

(3) Miles alter omittitur.

Lecythus Athen. 313.

(4) Amazon in utramque partem fugit.

Scyphus Neapol. Sanct. Ang. 168: in utroque latere similis pictura: vir solus in curru est; Amazones tunicis, mitris, pharetris praeditae sunt.

Nescio an similis sit scyphus Wilkinsoni 45:[4]) in utroque latere est in medio quadriga; in utraque parte Amazon stare dicitur; deinde in utraque parte sphinx.

(5) Duae Amazones in utraque parte sunt.

Scyphus Campanae 460, nunc in museo Parisino servatus: picturae inferioris artis et multis in partibus refectae sunt: in uno latere sunt quattuor equi, post quos adversos stantes currus auriga carens vix adparet. In dextra parte duae Amazones tunicis, mitris, pharetris, securibus praeditae ad dextram eunt. In altera parte duae similes figurae (sine pharetris) ad dextram — eas ad sinistram ire exspectares — progrediuntur. In altero latere est similis pictura; sed in dextra parte figura quae ab equis proxima est a refectore vir facta est, qui hoplitae armatura instructus respicit, et dextram quasi obstupefactus levat.

---

[1]) Olim Feolii 14.

[2]) Schoene, l. l., no. 26.

[3]) De Witte, Catalogue de la coll. de M. Alex. Castellani, Par., 1866, no. 39.

[4]) Torr, Catalogue of the Classical Antiquities from the Collection of the late Sir G. Wilkinson, Harrow, 1887.

Quibus de picturis, si ad primas tres classes spectamus, coniectura a Campanario[1]) olim facta eas ad Antiopae raptum referendas esse veri non ita dissimilis videtur. At tamen, cum in aliis picturis plures Amazones sint, opinionem illam reiciendam esse adparet.

VIII. Amazones contra hostes curru vectos proeliantur.

Amphora figuris atris ornata Campanae IX—X (H), 16: duae Amazones, quarum una humum casura est, cum duobus Scythis (ita Campana, vas ipse non vidi) in curru stantibus pugnant; post currum tertia Amazon e pugna abit.

IX. Amazon alteram Amazonem vulneratam vel mortuam humeris sinistrorsum fert; tertia Amazon ad eas respiciens anteit.

Hae picturae illis quae Aiacem Achillem mortuum portantem exhibent[2]) imitare videntur.

Amphora parva Parisina, in nummotheca servata: tertia Amazon cristam humilem in casside habet; duae earum collaribus ornatae sunt.

Oenochoa Virceb. 413:[3]) tertia Amazon veste Scythica, mitra, duabus hastis, pharetra instructa est.

Patera Monac. 1317:[4]) tertia figura omissa est; prima Amazon pellem super tunicam gerit; utrum scuta Boeotia a latere visa an peltas habeant figurae, e Iahnii descriptione parum clarum adparet; de altero latere cf. p. 14.

Praeterea nescio an Amazones sint in simili pictura lecythi olim Saveresii:[5]) in ea tribus illis figuris accedit quarta ad dextram vadens et respiciens.

---

[1]) Campanari, Antichi vasi dipinti delle collezione Feoli, sub. no. 14.

[2]) Cf. Gerhard., Auserl. Vasenb., III, tabb. 211—212; Mus. Greg., II, tab. 50,2 a.

[3]) Olim Feolii, cf. Bull. dell' Inst., 1865, p. 53 sq; sed erravisse videtur Urlichsius, qui vas a Campanario (l. l.) sub no. 92 descriptum esse dicit.

[4]) Gerhard, Rapporto Volcente, p. 151, no. 374*.

[5]) Gerhard, Antike Bildwerke, tab. 57,1.

Postremo in amphora olim Candelorii[1]) similis pictura fuisse videtur.

Quae vasa omnia ad posterius vasorum atris figuris ornatorum genus pertinere videntur.

X. Amazones equos ad currum iungentes profectionem parant.

Hydria Vireeb. 126[2]), atris figuris posterioris generis ornata: in currum ad dextram versum Amazon tunica, chlamyde, mitra vestita et stimulum loraque tenens ascendit. Duo equi ad eum iam iuncti sunt, tertium adducit altera Amazon bracis, veste manicata, super quam tunicam habet, mitra, hasta, ut videtur, praedita, quae ad dextram progreditur. Prope eam tertia longa aurigae tunica et mitra instructa et ad dextram versa iuxta equos stat; deinde quarta sagittariorum in modum armata et ad sinistram versa ad dextram circumspicit. In sinistra picturae parte post currum quinta eodem modo vestita ad dextram progrediens respicit; dextra manu securim tenet, sinistram quasi obstupefacta tollit.

XI. Amazon in curru stat.

Amphora Berol. 3995, atris figuris posterioris generis ornata: prope equos est palma; de altero eius latere vide infra, p. 75.

*Amphora rufis figuris ornata olim principis Canino 582: Amazon in curru stans cum amica pedestri loquitur; de altero latere vide infra, p. 73.

XII. Amazones curru in pugnam vehuntur.

Vasa nigris figuris posterioris generis ornata:

Amphora Monac. 88: equos regit Amazon, cuius clipeus in tergo est; virgam, ut auriga, habet; de altero vasis latere vide supra, p. 63.

---

[1]) Gerhard, Rapporto Volcente, l. l.

[2]) Gerhard, Auserl. Vasenb., II, tab. 102; Campanari, l. l., no. 93; Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 108, no. 3; Klein, Griech. Vasen mit Lieblingsinschr., p. 29. Similis pictura ad viros spectans in vase Berol. 1897 (Gerhard, l. l., IV, tabb. 249, 250) est.

Celebe Carlsruhana 167[1]: figurae in creta alba, qua vas circumlitum est, pictae sunt. Equos ad dextram currentes regit Amazon tunica brevi, thorace, casside, stimulo instructa. Prope currum incedit altera Amazon, ante quam tertia bracis, veste manicata, mitra, pelta, duabus hastis instructa respiciens praecurrit; deinde quarta et quinta ad dextram currunt. Post currum in sinistra picturae parte sexta Amazon Scythica veste, mitra, pharetra, arcu, duabus hastis munita ad dextram vadit.

In amphora Petropol. 101 figura tunica longa, casside, hasta, scuto in tergo posito praedita, quae curru vehitur, Minerva potius quam Amazon esse videtur.

XIII. Amazones curru in pugna utuntur.

(*a*) Vasa nigris figuris posterioris generis ornata:

Amphora Monac. 569: duae Amazones curru vehuntur; ante eum tertia Amazon in eas hastam intendere videtur; quod cum vix recte se habere possit, nescio an album pigmentum quo tertia figura colorata est nostra aetate inductum sit.

Hydriae: Londin. B 67 (471)[2]: prope currum, in quo Amazon aurigae munere fungitur, miles equis partim tectus Amazonem ad dextram insequitur; ea respicit, et hasta se defendere conatur; amica iuxta equorum capita posita hastam militi intendit; quarta Amazon sub equis humi iacet. Quod vas, cum inscriptionibus careat, viri docti parum recte ad pugnam Achillis et Penthesileae retulerunt.

Francofurtensis, in instituto Staedeliano servata[3]: pictura in superiore vasis parte est. In media pictura currus est ad dextram versus, in quo Amazon lora sinistra manu, dextra stimulum tenens pedem dextrum ponit. Prope equos altera Amazon

---

[1]) Bull. dell' Inst., 1834, p. 165 sq.; Arch. Anzeig., 1851, p. 33, no. 1; Jahrbuch des Vereins der Altertumsfreunde im Rheinlande, II, p. 61; Journal of Hellenic Studies, IV, p. 248 sqq.; Overbeck, Gall. her. Bildw., p. 764, no. 16.

[2]) Principis Canino 1489; Overbeck, l. l., p. 500 sq.

[3]) Olim principis Canino; Verzeichniss des Staedel'schen Instituts, 1883, p. 49, no. 54. Descriptionem amico meo Georgio Kietz debeo.

ad dextram versa hastam in militem vibrat, qui ante equos vulneratus humi cubat. Eum miles ad sinistram versus hasta intenta defendit. Deinde Amazon ad dextram versa militem gladio invadit; is ad dextram versus cadens ad eam respicit. In altera picturae parte post currum miles ad sinistram versus Amazonem cadentem ad dextram versam hasta percussurus est.

(*β*) Vas rufis figuris ornatum:

*Amphora principis Canino 582 [1]): Amazon curru vecta contra iuvenem pugnat; de altero latere vide supra, p. 71.

De pictura amphorae olim apud Basseggium [2]), quae Amazonem in curru exhibet, nihil adcuratius scio; etiam de figurarum colore non constat.

XIV. Amazones equos frenis ducunt, vel prope equos stant.

(*α*) Vasa Attica atris figuris posterioris generis ornata:

Amphorae: Monac. 328: Amazon mitrata equum ad dextram ducit; antecedit altera, quae ad primam respicit. Post equum est miles ad sinistram versus; quae figura, nisi forte ratione ceterarum figurarum non habita, ut spatium expleret, pictor eam adiecit, nescio an ex Amazonis tertiae imagine refecta sit.

Petropol. 98 [3]): Amazon ad dextram equum ducit; post eos avis ad dextram volat. In altero vasis latere Amazon ad dextram versa frenis equum tenet, qui, ut domina facilius in eum ascendat, genua anteriora inflectens se inclinat [4]); prope eum est palma.

Oenochoae: Parisina, in museo publico servata: duae Amazones ad dextram versae prope duos equos stant; quarum una ad alteram respicit; ante equos canis antecedit.

Petropol. 37 [5]): duae Amazones clipeos in tergo gerentes equos ad dextram ducunt.

---

[1]) Rés. Etr., p. 31, no. 3 (?); Gerhard, Rapporto Volcente, p. 151, no. 374*; Auserl. Vasenb., II, p. 59, n. 13.

[2]) Gerhard, Auserl. Vasenb., II, p. 59, n. 13.

[3]) Campanae IX—X (I), 30; Stephani, Compte Rendu pour 1864, pp. 5 et 20 sq.

[4]) Parum recte Stephanius dicit equum quasi dominam suam venerari. Similiter in lecytho Lugdunobat. 1689 equus se inclinare videtur.

[5]) Campanae 331.

Olpae: Berol. 1912: Amazon prope equum ad dextram progreditur; cassidem humili crista ornatam et duas hastas habet, praeterea in tergo parmam, nisi forte Furtwaengler rem recte pro sarcinis explicavit.

Suessulana[1]: Amazon tunica brevi, mitra, pharetra, hastis duabus instructa equum ad dextram ducens respicit; prope eam est palma.

Lecythus Durandi 357: tres Amazones tunicis brevibus, mitris, pharetris, hastis praeditae prope duos equos stant.

Patera Berol. 2066: in utroque latere tres figurae equos agunt, quarum una in media pictura posita Amazon est; inter eas duae aves volitant. Altera Amazonum mitram quandam, quae in tergo dependet, altera cassidem refectam gerit. Quae figurae, cum viri cum Amazonibus consociati non ferendi sint, non unam picturam efficere, sed, velut saepe animalium series, una post alteram ornandi vasis causa positae esse videntur.

Postremo utrum Amazonem an virum pictor fecerit in amphora Vindobonensi[2] non satis adparet; figura enim quae prope equum armata stat partim albo, partim nigro colore est, ut refectum vas esse videatur. Etiam refectae videntur figurae albo pigmento coloratae, quae in amphora alia Vindobonensi[3] equos viro, qui in media pictura, femina adstante, se armat, ab utraque parte adducunt; nam Amazones in tali pictura ineptissimae sunt.

(β) Vasa rubris figuris severi generis ornata:

Paterae: *Athen. 467: pictura in interiore parte est: Amazon ad sinistram versa et bracis, tunica, mitra, gladio instructa hastis duabus nititur; prope eam stat equus, qui pede terram radit.

Londin. E 51 (820): in media pictura Amazon veste Scythica

[1]) Mitteil. d. arch. Inst., roem. Abteil., 1887, p. 261.

[2]) De Sacken et Kenner, Sammlungen des k. k. Muenz- und Antikencabinets, p. 206, no. 17; De la Borde, Collection des vases Grecs de M. le Comte de Lamberg, II, p. 1.

[3]) De Sacken et Kenner, l. l., p. 184, no. 197.

instructa frenis equum ad sinistram currentem tenet; quam antecedit altera hoplitae armatura instructa, quae ad dextram respicit; post equum sequitur Euope (inscr.) etiam ad sinistram currens et Graecum in modum armata. De aliis huius vasis picturis cf. supra, pp. 30, 56.

XV. Amazones equis vehuntur.

(*α*) Vasa Attica nigris figuris posterioris generis ornata:

(1) Una Amazon equestris est.

Amphorae: Berol. 1839: Amazon peltam in tergo gerens ad sinistram equitat, alterum equum ducens. In altero vasis latere est similis pictura, nisi quod Amazon mitrata est, et ad dextram equitat. Sub equo in utraque pictura canis est.

Berol. 3995: Amazon bracis et tunica stricta mitraque vestita, et pelta, quae in tergo dependet, duabusque hastis munita ad dextram vehitur; ante eam altera Amazon hoplitae armatura instructa pedibus progreditur. De altero vasis latere cf. supra, p. 71.

Bononiensis[1]): Amazon equestris in media pictura est; quam antecedit Amazon — nam erravisse videtur Brizius figuram Phrygem esse dicens — tunica brevi, mitra, arcu instructa; post equum sequitur tertia Amazon Graecum in modum armata; de altero vasis latere cf. supra, p. 17.

Campanae 199, nunc in museo Parisino servata: Amazon ad dextram vehitur, quam antecedit altera pedestris ad eam respiciens; sub equo est canis; de altero vasis latere vide infra sub (2).

Hydria parva Londin. B 133: prope equum ad dextram euntem est canis.

Lecythus Londin. D 70: Amazon ad dextram vehitur. Vasculum mirum in modum pictum est, ita ut equi lineamenta extrema in atro vase incisa, colore non adhibito, sint; Amazonis autem corpus et hastae duae albo, cassis et thorax rubro pigmento descripta sint, cristaque, extremis lineis rubro coloratis, albis maculis decorata sit.

(2) Duae sunt Amazones equestres, quae ad dextram vehuntur.

[1]) Comparetti, Museo Italiano di antichità classica, II, p. 17, no. 58.

Amphorae: Campanae 199, nunc in museo Parisino: duo canes; de altero vasis latere cf. supra sub (1).

Campanae 505, etiam in museo Parisino servata: prima Amazon Graecum in modum vestita est, sed cassidem humili crista ornatam et peltam habet; altera tunica, mitra Phrygia, pelta, duabus hastis instructa est. Unus canis.

Campanae 508: duo canes; de altero vasis latere cf. supra, p. 22.

Londin. B 40 (586)[1]: Amazones collaribus ornatae clipeos in tergis gerunt. Duo canes.

Monac. 699: Amazones tunicis brevibus, mitris, peltis, binis hastis munitae sunt. Duo canes.

Tarquiniensis[2]: una Amazon mitrata est; duo canes; de altero latere cf. supra, p. 16.

Dubium videtur num Amazones sint duae figurae, quarum una mitrata est, in amphora Bononiensi[3]; Zannonius quidem sine dubio errat alteram virum, alteram Amazonem esse dicens; aut duae Amazones aut duo viri sunt. Duo canes.

Oenochoae: Bocchiana 25[4]: duo canes.

Londin. B 510: Amazones mitratae sunt, et in tergis res parum claras, nescio an peltas, habent.

Olpa principis Canino 1755[5]: altera Amazon pharetra instructa est; et mammas eius sub veste indicare pictor voluisse videtur. Duo canes. Quod Canino de patriarcha Noë huius vasis pictore coniecit, id refellere mitto.

Lecythi: Berol. 1975: Amazones mitra, chlamyde, iaculo munitae sunt. Inter eas Amazon pedestris tunica

---

[1]) De Witte, Description d'une coll. de vases peints et bronzes antiques provenant des fouilles de l'Etrurie, Par., 1837, no. 90.

[2]) Bull. dell' Inst., 1877, p. 60.

[3]) Zannoni, Gli scavi della Certosa di Bologna, tab. 106,8—10 et p. 362; Bull. dell' Inst., 1872, p. 79, no. 11.

[4]) Schoene, Museo Bocchi di Adria, tab. 13,5.

[5]) Micali, Storia degli antichi popoli Italiani, tab. 91,1 et III, p. 160; Gerhard, Rapporto Volcente, p. 151, no. 374*, ubi falso figurae rubrae esse dicuntur; Rés. Etr., p. 17, no. 1.

brevi, mitra, pharetra, securi instructa et respiciens ad dextram progreditur.

Londin. B 604: inter duas equestres Amazones est tertia pedestris, quae ad sinistram respicit; ea pharetra munita est; prope eam est hasta, quam dubito utrum manu dextra teneri an in humo infixam esse voluerit pictor.

(3) Tres sunt Amazones ad dextram equitantes.

Amphorae: principis Canino 806 [1]): duo canes.

Wilkinsoni 28 [2]).

Praeterea fortasse tres equites mitrati, qui in patera olim principis Canino [3]) esse dicuntur, Amazones sunt.

(4) Quinque Amazones sunt.

Amphora principis Canino 527 [4]): duae Amazones altera iuxta alteram positae, quarum una veste Scythica et mitra praedita est, ad dextram equitant; sequitur simile par, postremo quinta Amazon et ea Scythicum in modum instructa. Nonnulla refecta esse ex eo adparet, quod duarum Amazonum superiores partes nudae — id quod plane inauditum est — videntur. Nomina *Ανδρομαχη* et *Αιρεπω* (?) adscripta sunt. Duo canes.

Hydria olim Depolettii a Charitaeo facta [5]): par Amazonum

---

[1]) Gerhard, Rapporto Volcente, p. 151, no. 374*; Overbeck, Gall. her. Bildw., pp. 469, 494.

[2]) Torr, Catalogue of the Classical Antiquities from the Collection of the late Sir G. Wilkinson, Harrow, 1887.

[3]) Notice d'une collection de vases peints tirés des fouilles faites en Etrurie, Par., 1845, no. 52.

[4]) Gerhard, Auserl. Vasenb., III, tab. 199 et p. 106 (ubi pictura parum recte ad Penthesileam refertur); Rapporto Volcente, p. 151, no. 374*; Overbeck, Gall her. Bildw., p. 494; Catalogue of the Collection of Antiquities formed by B. Hertz, Lond., 1851, p. 115, no. 29; Catalogue of the Collection of Antiquities formed by Hertz, now the Property of J. Mayer, Lond., 1859, no 189 (ubi nomen alterum Phaidepo esse dicitur); O. Mueller in comment. societ. Gotting. VII, p. 101, nomen illud *'Αερόπη* esse coniecit; in CIG. 7676 *'Αρετώ* legitur.

[5]) Graphis in bibliotheca musei Berol., XI, 51; Klein, Griech. Vasen

ad dextram vehitur, deinde tertia, postremo alterum par, quarum una ad sinistram respicit. Tres ex iis peltas in humeris sinistris habent. Cassides cristis humilioribus ornatae sunt.

(5) Septem Amazones sunt.

Amphora Monac. 538: pictura in collo est: Amazones Scythicis vestibus et mitris instructae sunt; duae praeterea peltas habent; septimae figurae pars solum adparet. De altera vasis pictura cf. supra, p. 49.

Hoc loco pauca de canibus, quos et in his et in aliis Amazonum picturis vidimus, dicere licet. Atque cum recordemur Amazones Martis filias esse dici, canem autem illius proprium esse, hac de causa canes eas comitari videri possunt. At canes in similibus virorum picturis reperiuntur, ubi nihil aliud significant, quam eos prope a domo esse[1]. Idem igitur, nisi ad venatum eos referre vis, canes in Amazonum picturis significare statuendum est.

(β) Vasa Attica rubris figuris severioris generis ornata:

Cratera Bononiensis[2]): duae Amazones equitant hastis armatae; sequitur tertia pedestris, quae duas hastas tenet, tum equus, prope quem Amazon est pedestris cum hasta et scuto, postremo alterius equi caput. Omnes Amazones bracis, vestibus manicatis, cassidibus, thoracibus (?) praeditae esse dicuntur. Praeter figuras saxum et arborem adiecit pictor.

Patera Campanae 615, nunc in museo Parisino servata: Amazon caligis, chlamyde, mitra, pelta, hasta munita ad sinistram equitat, quam altera pedestris hoplitae more armata sequitur; deinde similis Amazon equestris, quam item pedestris altera sequitur; postremo tertia equestris (sine caligis).

---

mit Meistersignaturen, p. 51. no. 1; Journal des savants, 1843, p. 284; R. Rochette, Lettre à Schorn, p. 38; Wiener Vorlegeblaetter, 1889, tab. 6,20.

[1]) Cf. Gerhard., Auserl. Vasenb., III, tab. 215; IV, tab. 266; Mus. Greg., II, tab. 32,2a; Chabouillet, Description des antiquités de M Louis Fould, no. 1402; Campanae 161, nunc in museo Parisino servata; Londin. C 18 (Duas posteriores picturas ad venatum referre possis).

[2]) Comparetti, Museo Italiano di antichità classica, II, p. 36, A.

Postremo, ne aliquid quod ad rem pertineat omisisse videar, Loeschckium erravisse moneo Amazones equitantes in vasis Ionicis prope Naucratem repertis depictas esse dicentem[1]). Fragmenta enim quae hoc modo explicare voluisse videtur Daphnis reperta nudas mulieres sine ulla armatura ad dextram equitantes exhibent; cui viri hastis instructi respicientes anteeunt; prope equos sunt canes. Quae mulieres, ut iam Murrayus[2]) perspexit, Amazones esse non possunt; primum enim armis carent; deinde, id quod in Amazonibus inauditum est, nudae sunt; postremo viris amice utuntur. In alio fragmento Naucrati reperto[3]), quod fortasse Amazonem praebere crederes, figura tunica vestita et ad dextram equitans, cuius facies cretae colorem habet, sine dubio virilis, fortasse, cum vas Castori et Polluci dedicatum fuisse ex inscriptione adpareat, unus e geminis illis est.

XVI. Amazones equestres cum viris pugnant.

(α) Vas Chalcidicum:

Petropol. 54[4]): Amazon equestris tunica brevi, ocreis, thorace, casside, pharetra instructa, quae ad sinistram fugit, se convertit sagittam in militem pedestrem missura; is, scuto sagitta iam transfixo, hastam iactans sequitur. Equi frenos, ut melius pugnet, Amazon corpori circumdatos habet.

(β) Vasa Attica atris figuris posterioris generis ornata:

(1) Amazon equestris ad sinistram versa cum equite dimicat; inter eos iacet altera Amazon ad sinistram versa[5]).

Amphorae: Berol. 1847.

Londin. B 192: Amazon altera collari ornata est.

---

[1]) Bonner Studien R. Kekulé gewidmet, p. 256. Gratias magnas Caecilio Smith, viro doctissimo, qui me de hac re per litteras certiorem fecit, hoc loco ago.

[2]) Memoirs of the Egypt Exploration Fund, IV (Tanis, pars II), p. 70; exemplum fragmentorum ibidem tab. 29,4 depictum est.

[3]) Memoris of the Egypt Exploration Fund, III (Naucratis), tab. 6,6.

[4]) Campanae 168; Bonner Studien, p. 256 sqq. (Loeschcke).

[5]) De hac et sequente classe uberius disputavit Loeschckius in Bonner Studien, p. 248 sqq.

Monac. 478[1]): nomina *Αχιλεος* et *Πενθεσιλεας* adscripta sunt. Quae nomina pictor ipse libidine conmotus dedisse videtur; cf. supra, p. 57.

Paterae fragmentum Bonnae servatum[2]).

(2) Duae Amazones contra sese positae virum invadunt, qui sub equis earum cadit.

Amphorae: principis Canino[3]): altera Amazon Scythica veste, mitra, pharetra, pelta, hastis duabus instructa est, altera Graecum in modum, nisi quod peltam habet. Duae hastae humi iacent.

Petropol. 41[4]): miles ad dextram versus est.

Romana, olim apud mercatorem quendam[5]): omnes figurae albo colore tinctae fuisse videntur, id quod refectori deberi manifestum est; figura pedestris ad sinistram versa ad dextram respicit.

Lecythus Vindobon.[6]): miles ad dextram versus et ad sinistram respiciens Amazonem quae post eum est gladio petit.

(2a) Amazon a dextra picturae parte omittitur.

Oenochoa Vindobon.[7]): Amazon tunica brevi, mitra, thorace, pharetra, duabus hastis instructa est; miles ad sinistram versus genu nititur.

---

[1]) Gerhard, Auserl. Vasenb., III, tab. 205,1; Rapporto Volcente, p. 154, no. 411*; Overbeck, Gall. her. Bildw., tab. 21,5 et p. 501; Zeitschr. fuer Altertumswissenschaft, 1850, p. 306 sq.

[2]) Loeschcke, l. l., p. 252.

[3]) De Witte, Description d'une coll. de vases peints et bronzes antiques provenant des fouilles de l'Etrurie, Par., 1837, no. 116; Dubois, Description des antiques faisant partie des collections de M. le Comte de Pourtalès-Gorgier, Par., 1841, no. 204; Catalogue des objets d'art . . de feu M. le Comte Pourtalès-Gorgier, Par., 1865, 215; Collection Aug. Dutuit, Par., 1879, no. 65 idem vas esse videtur.

[4]) Campanae 422.

[5]) Graphis in bibliotheca musei Berol., XII, 120.

[6]) De Sacken et Kenner, l. l., p. 164, no. 89; De la Borde, l. l., II, tab. 17.

[7]) De Sacken et Kenner, l. l., p. 194, no. 58; De la Borde, l. l., I, tab. 95.

(3) Amazon equestris cum milite pedestri proeliatur.

Patera olim Magnoncourii 56[1]): de altero vasis latere cf. supra, p. 63.

(3a) Figuris illis accedit in utraque parte vir palliatus, qui pugnam spectat.

Lecythus Wilkinsoni 32[2]): Amazon in albo equo sedet.

(4) Amazon equestris militem fugientem insequitur.

Amphora in museo Parisino servata[3]): miles ad dextram iens respicit;

(5) Amazon equestris ante militem ad dextram fugit.

Oenochoa in Graecia reperta, nunc in museo Parisino servata: Amazon ad hostem respicit.

(γ) Vasa Attica rubris figuris severi generis ornata:

Celebe Campanae 82, nunc in museo Parisino servata: Amazon equestris ad dextram versa et tunica brevi, chlamyde, caligis, casside crista nulla ornata, pelta in tergo posita, duabus hastis instructa in uno vasis latere depicta est; prope equum res parum clara (scutum vel pelta?) adparet. In altero latere iuvenis nudus, nisi quod in bracchio sinistro pellem et in capite pilleum quendam habet, ad sinistram currens, ut saxum in Amazonem iaciat, se convertit. Quae figurae sine dubio in unam picturam coniungendae sunt.

Patera Campanae 642, nunc in museo Parisino[4]): Amazon equestris mitrata ad dextram versa hoplitae adverso obsistit, qui scutum bracchio sinistro protendit; sequitur similis Amazon, mamma sinistra nudata, quae hastam in militem adversum intendit; postremo sagittarius barbatus et hoplites se ad dextram e pugna recipiunt.

Quibus de picturis dubitari potest, an magnam illam Miconis

---

[1]) De Witte, Description des vases peints et des bronzes antiques qui composent la collection de M. de M***, Par., 1839.

[2]) Torr, l. l.

[3]) Millingen, Anc. Uned. Mon., tab. 38.

[4]) Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 93, no. 16. Pictura in altero paterae latere ad Amazones non referenda videtur.

picturam pictores imitati sunt; sed cum severi generis sint, eas praetermittere nolui.

Venio nunc ad ea quae de equestribus Amazonibus nuper disputavit Loeschckius[1]). Is enim et vasa Attica quae ad classem β 1 pertinent et vas illud Chalcidicum ad Achillis et Penthesileae pugnam retulit; deinde Furtwaenglerum[2]) sequens Amazones equestres pingendi consuetudinem Atticos artifices ab Ioniis accepisse statuit; denique in Aethiopide Amazones equestres fuisse, id quod Welckerus[3]) et Benndorfius[4]) potius suspicati sunt, quam rationibus conprobaverunt, demonstravisse sibi videtur. Quibus sententiis, quamquam a viro doctissimo et vasorum antiquorum peritissimo prolatae sunt, adsentiri non possum. Primum enim causa plane nulla est, cur haec vasa ad Achillis et Penthesileae pugnam pertinere credamus. Immo vero in Atticis vasis ipse Loeschckius satis demonstravit picturas illas a schematibus in virorum picturis usitatis, albo pigmento figuris adhibito, ortas esse[5]). Quod in ipso vase Monac. 478 praeclare vidimus; cuius in altero latere pictura Achillis et Penthesileae pugnae est, in altero equites duo super virum humi iacentem prorsus eodem modo pugnant, ita ut luce clarius sit pictorem primum in duobus lateribus eandem picturam delineavisse, deinde ut varietatem operi daret, in uno latere, albo colore adhibito, e viris Amazones fecisse. Neque nomina illa a pictore libidine adiecta similes picturas ad Achillem et Penthesileam referendas esse demonstrant; nemini nisi ipsi pictori ita debentur, ut in vase illo Corinthio[6]) nomina Aiacis et Aeneae figuris pugnantium addita. Chalcidicam vero picturam ad Achillem Penthesileam aggredientem pertinere item veri dissimile est.

[1]) Bonner Studien, p. 248 sqq.

[2]) Berliner philolog. Wochenschr., 1888, p. 1450.

[3]) Welcker, der epische Cyklus, II, p. 215 sqq.

[4]) Benndorf, Das Heroon von Gjoelbaschi-Trysa, p. 142; cf. Hirschfeld in Berlin. philol. Wochenschr., 1889, p. 1454 sqq.

[5]) Cf. vasa quae sub numeris IV et VI Loeschckius l. l., p. 251 enumeravit.

[6]) Ann. dell' Inst., 1862, tab. B.

Nam, cum in vase Ionico, fortasse Cumano,[1]) et in fragmento Daphnis reperto[2]) similes virorum figurae videantur, apud Ionios quoque eodem modo quo apud Atticos ortas esse Amazonum figuras adparet, ita ut formae in viris depingendis usitatae, albo colore adhibito, in feminas bellicosas translatae sint.

Jam si recte iudicavimus, alterum illud, equestrium Amazonum pingendarum consuetudinem num Attici pictores ab Ioniis acceperint, dubium videtur. Id enim, quod equestres Anazones et in Ionicis et in Atticis operibus reperimus, nihil demonstrat. Atque figurae Ionicae Atticarum prorsus dissimiles sunt. In his enim Amazones plerumque hastis, ut Attici equites, instructae hostibus obsistunt, in illis fugientes sagittas retrorsum mittunt. Atque multae aliae picturae, quas supra perlustravimus, velut illae quae Amazones se ad pugnam parantes, incedentes, sive pedestres sive e curru pugnantes, equos ad currum iungentes, et q. s. r., ita ortae esse videntur, ut picturis traditis, quae ad militum Atticorum mores et consuetudines pertinebant, pictores albi pigmenti paulum addiderint. Eodem modo, cum Amazones equestres non solum pugnantes sed etiam paene omnia quae ad equestrem vitam pertinent facientes, velut

---

[1]) Mus. Greg. II, tab. 29, 2; Mitteil. d. arch. Inst., roem. Abteil., 1887, tab. 9, cf. p. 171 sqq. Quod vas quo modo de Duhnius (Mitteil. d. arch. Inst., roem. Abteil., 1887, p. 244) et Loeschckius (l. l., p. 256) Amazones exhibere credere possint, vix intelligo. Nam figurae albo colore non tinctae sunt, id quod in ceteris eiusdem generis vasis feminarum in figuris semper factum est (cf. Mitteil. d. arch. Inst, roem. Abteil., l. l., tab. 8, 2; Mon. dell' Inst., II, tab. 18; Gerhard, Auserl. Vasenb., II, tab. 127; III, tab. 170; Micali, Monumenti Inediti, tab. 36); neque, cum in ipsa pictura album pigmentum quod in vestibus est bene conservatum sit, potest color aetate periisse. Itaque, ut recte Duemmlerus (Mitteil., l. l, p. 186, n. 2) dicit, Amazones esse non possunt. Sed similitudo earum cum figuris Cumanis aereis, de quibus infra pauca dicemus, talis est, ut quamquam viriles sunt, tamen eodem loco, i. e., ut Furtwaengler (Arch. Anzeiger, 1889, p. 51) iam statuit, Cumis, totam vasorum classem ortam esse veri non dissimile sit, praesertim cum inter figuras aereas nonnullae viriles sint.

[2]) Memoirs of the Egypt Exploration Fund, IV (Tanis, pars II), tab. 31, 14.

equos ducere et equitare, videamus, formas, quibus in popularibus equitibus depingendis utebantur, ad Amazones, quippe quae gens feminarum bellicosa artes bellicas omnes exerceret, ipsos Atticos pictores, ut supra in vase Monacensi vidimus, transtulisse veri simile est. Inventionis vim tam pusillam, ut cum gentem bellicosam equitibus carentem animo sibi effingere non possent, nulla ratione pictorum alienorum habita, ipsi Amazones equestres fecerint, etiam Atticis pictoribus, quamvis ingenio minime abundent, adscribere licet.

Postremo, quod Amazones in Aethiopide equestres fuisse credit Loeschckius, id neque adfirmo, neque, quamquam non veri simile videtur, nego. Id nego, sententiam illam illius rationibus demonstrari. Nam etiam si recte vas illud Corinthium, quod describit, picturam ad Chalcidicum exemplar factam exhibere iudicat, id nihil demonstrat nisi Chalcidenses virorum pugnas, ut supra diximus, eo modo depingere solitos fuisse; de Amazonibus nihil ex ea re efficitur. Picturam vero illam ad Amazones depingendas a principio inventam esse vix quisquam sibi persuadebit. Sed haec hactenus.

XVII. Amazones in equis sedentes id quod in media pictura fit spectant. Quod non nisi in vasis atris figuris posterioris generis neglegenter pictis reperitur.

Cyathus Londin. B 415 (660)[1]: in media pictura Hercules aprum Erymanthium domat; in utraque parte Amazon chlamyde, casside, collari praedita, praeterea in dextra parte altera similis figura (sine collari), cuius equus ad dextram versus est.

Lecythi: Athen. 284: in media pictura mulier armata hastam in militem cadentem intendit (Athena et Encelados?); in utraque parte Amazon.

Olim de Hermanni[2]): in media pictura Hercules et Achelous; in sinistra parte figura equestris mitrata, in altera parte figura similis, cuius crines longi vitta alba (sine mitra) ornati sunt.

---

[1]) Durandi 275.

[2]) Dubois-Maisonneuve, Introduction à l'étude des vases antiques, tab. 24, 1; vas lecythum esse non prorsus certum est.

Londin. B 577: in media pictura Hercules cum Amazonibus pugnat; in utraque parte mulier equestris chlamyde et casside instructa; cf. supra, p. 21.

Parisina, in museo publico servata: in media pictura Minerva et Enceladus; una Amazon mitram, altera cassidem(?) gerit.

Parisina altera similis ibidem servata: figurae mitras, quae longae in tergis dependent, in capitibus habent.

Siciliensis: [1]) figurae longas mitras gerunt; in media pictura Hercules cum Amazone dimicat; cf. supra, p. 21.

XVIII. Amazon cum gryphe pugnat.

Haec res, quae saepius in vasis rufis figuris posterioris generis ornatis reperitur, in antiquioribus numquam depicta est, nisi quod de Wittius pateram atris figuris ornatam olim Durandi 351 in uno latere Amazonem tunica brevi, mitra, pharetra, securi praeditam, quae in gryphem vulneratum in altero latere depictum currat, exhibere dicit. Forma quidem paterae, quam ille in catalogo praebet, vasorum atris figuris ornatorum propria est. Sed in tam antiquo vase talem picturam esse prorsus incredibile videtur, ita ut errorem quendam in descriptione inesse credam. [2])

XIX. Amazonum capita.

Lecythi; Ravesteini 266: caput a latere visum albo colore in vase rufo pictum est; crines fulvi sunt, in quibus mitra Phrygia posita est.

Vindobonensis: [3]) caput albo pigmento, mitra atro in vase rufo depicta est.

Patera olim Feolii, nunc Virceb. 349, caput exhibet, quod esse Minervae potius quam Amazonis, id quod Campanarius statuit[4]), iam Urlichsius perspexit.

XX. Vasa quae incerta vel refecta vel ad Amazones parum recte relata videntur.

---

[1]) Graphis in bibliotheca musei Berol., XV, 65.

[2]) cf. Kluegmann, die Amazonen in der att. Lit. u. Kunst, p. 55, n.

[3]) De Sacken et Kenner, l. l., p. 214, no. 43.

[4]) Campanari, Antichi vasi dipinti delle collezione Feoli, no. 94.

(α) Hydria, quae dicitur Caeretana (?), Campanae II, 7, nunc in museo Parisino servata: in media pictura figura ad sinistram versa cum tunica longa et inauribus, praeterea longis crinibus, frenos equorum tenet, quorum alter in altera parte stat. Prope alterum equum est figura ad sinistram versa, tunica brevi hastaque instructa; prope alterum similis figura ad dextram versa, cuius humerus dexter nudus est. Omnium corpora albo pigmento colorata sunt; sed cum in vasis huius generis vel viri saepius albo colore sint, cumque picturae similes ad Amazones pertinentes non reperiantur, non est cur Campanae, qui eas Amazones esse putavit, adsentiamur; figura quidem in media pictura posita mulier esse videtur; ceterae autem, ut Pottierus iudicavit, viri sunt.[1])

(β) Amphora Attica antiquissima animalium figuris ornata, olim Campanae 1097, nunc in museo Parisino: figurae quas Campana pro Amazonibus habuit conplures barbatae sunt.

(γ) Vasa Attica atris figuris posterioris generis ornata:

Amphorae: olim Carlsruhana 299:[2]) vas ita describitur; Amazon in quadrigam ascendit; prope eam est miles armatus, post quem mulier stat; ante equos figura pallio amicta sedet. Sed cum tali picturae, praesertim viro socio addito, Amazonem non adcommodatam esse pateat, nisi forte—id quod e descriptione veri non simile videtur—omnes figurae Amazones sunt, Froehnerum de illa figura erravisse, aut vas refectum esse credo.

Clusina:[3]) Desvergersius picturam ad pugnam a Perseo (sic) cum Amazonibus commissam refert; figuras omnino non Amazones esse luce clarius est.

Durandi 67:[4]) in uno latere Triptolemus in curru suo inter

---

[1]) Dumont et Chaplain, l. l., p. 266, no. 6, ubi de pictura rectius quam de loco quo factum est vas iudicatum est.

[2]) In catalogo a Froehnero a. 1860 edito; in Winnefeldi catalogo deest.

[3]) Noel Desvergers, L'Etrurie et les Etrusques, III, tab. 15, cf. p. 11.

[4]) Lenormant in catal. Durandiano, ad num. 67; Lenormant et de Witte, Élite céram., III, tab. 66 (ubi vir ille praeterea hastam habet); Gerhard, Auserl. Vasenb., I, tab. 43.

duos homines sedet; in altero vir facie barbara respiciens ad sinistram progreditur, qui tunica, pharetra, arcu instructus cum muliere tunica brevi, chlamyde, mitra Scythica, scuto praedita et ipsa ad sinistram incedente loqui videtur. In sinistra picturae parte stat ante virum illum ad dextram versa altera mulier tunica brevi, chlamyde, casside alta crista ornata, hasta, scuto munita. Quas figuras Lenormantius Scytham et duas Amazones, Gerhardius Aethiopem et Amazones esse credidit; atque barbaros populos, quibus Triptolemus frumenti semina daturus sit, significare putaverunt. Quae explicatio, cum inter picturas in duobus vasorum id genus lateribus positas necessitudo intercedere non soleat, dubia videtur. Etiam in figuris ipsis singulae res suspicionem excitant, praesertim si tabulam Lenormantii inspexeris. Primum enim barbarus viri vultus maxime offendit; offendit etiam quod mulier post eum posita aliis figuris minor est; atque facies eius ipsa suspiciosa est; dubiae etiam videntur figurarum quae Amazones dicuntur vestes; et in altero latere duorum virorum ora antiqua esse vix possunt. Itaque cum Amazones cum viro socio coniunctae vix esse possint, vas multis in locis refectum esse videtur. Suspicor autem tres Amazones olim in eo fuisse, quarum una in media pictura posita fortasse se armavit.

Panckouckii 15:[1]) Bacchus cum hoste aliquo pugnat; causa non est cur figuram illam Amazonem esse credamus. Neque in vase olim Gerhardii figuram, quam vir doctus Amazonem in Bacchica pictura positam esse putavit,[2]) re vera Amazonem esse credo; nam in antiquioribus quidem picturis nihil simile reperiri potest.

Petropol. 15: vas ita descriptum est; currus ad dextram versus, quem regit mulier insigni veste praedita; prope equos Bacchus stat ad sinistram versus et cornu tenens. Sequitur miles qui Amazonem invadit; ea ad dextram versa in genua cadit; deinde Minerva et vir hastis proeliantur. Hae figurae

1) Cf. Bull. dell' Inst, 1834, p. 241.

2) Gerhard, Auserl. Vasenb., II, p. 57, n. 6.

sine dubio in duas picturas dividendae sunt, ita ut in uno latere Bacchica pictura, in altero nescio an pugna deorum et Gigantum sit. Nam pugnam cum Amazone a viro commissam inter deorum figuras positam esse veri dissimile est. Fortasse figurae aliquid refectae sunt.

Celebe Campanae 972, nunc in museo Parisino servata: femina tunica brevi, ocreis, casside, gladio, scuto, quod in tergo gerit, instructa in currum ad dextram versum ascendit, lora manibus tenens. Prope sunt lyricen (Apollo) et dea coronam tenens; ante equos est Mercurius, qui ad quadrigas respicit. Quae pictura ad Minervam referenda esse videtur, quamquam Minerva brevi tunica vestita paene inaudita est; nam Amazon inter deos hoc modo posita esse nequit.

Hydria olim principis Canino:[1]) pictura in superiore parte posita ad pugnam dearum et Gigantum referenda videtur; figuras enim Amazones non esse inde adparet, quod tunicas longas indutae sunt.

Oenochoa Monac. 357: Amazon tunica brevi, mitra, pharetra, hasta instructa in pictura Achillis Troilum persequentis locum Priamcidis obtinet; quod refectori deberi veri simile est.

Olpa Turici in polytechnico servata:[2]) figura mitrata ab equo ad sinistram verso cadere videtur. Quae figura Bluemnerus dubitat an Amazon non sit, idemque vas Athenis factum non esse putat; quibus de rebus ego nihil certius scio.

Lecythi: olim Fauvelii:[3]) figura tunica brevi, chlamyde, scuto, casside humili crista ornata, hasta instructa stat ad sinistram versa; quam adversum altera figura tunica brevi, thorace,

---

[1]) De Witte, Description d'une coll. de vases peints et bronzes antiques provenant des fouilles de l'Etrurie, Par., 1837, no. 126.

[2]) Bluemner, Die archaeol. Sammlung — — zu Zuerich, Tur., 1881, p. 176, no. 16.

[3]) Stackelberg, Graeber der Hellenen, tab. 11, 1; Overbeck, Gall. her. Bildw., tab. 16, 13 et p. 317; Brunn, Troische Miscellen (Sitzungsb. der k. bayr. Akad., phil.-philol. Classe, 1868), p. 225, sq.

gladio, casside humili crista decorata, hasta praedita scutum humo levat; in utraque parte figura Scythica veste, mitra, pharetra, arcu, hasta munita respiciens abit. Quam picturam Overbeckius nimia sagacitate ad Diomedem et Glaucum refert,[1]) Brunnius Amazones esse putat; sed cum pictor albo pigmento in vestibus et armis usus esse videatur, corpora autem atra sint, viri potius quam feminae figurae sunt.

Vindobonensis:[2]) auriga et miles in curru stant; hic alterum militem, qui prope equos humum cadit, percussurus est; tertius miles amicum protecturus iis obviam venit; sequitur miles, qui Amazonem (?) genu nixam et Scythica veste mitraque praeditam invadit, postremo alius miles, qui figurae illi a tergo hastam intendit. Qua in pictura aut duae illae figurae, quae cum viro curru vecto dimicant, aut figurae in curru stantes Amazones esse necesse est, aut, id quod mihi quidem veri similius videtur, figura quae Amazon esse dicitur iuvenis Scythes est; nam Amazon virorum socia plane non ferenda est.

Fragmentum Athenis repertum:[3]) caput mulieris casside praeditae aut Amazonis aut Minervae esse videtur.

Hoc loco etiam dicendum est de alabastrorum classe quadam, quorum mihi nota sunt haec:

Londin. C 72,[4])

Branteghemi,[5])

Athen. 2000, 2802, 2960,[6])

Baronii,[7])

---

[1]) Il. Z, 235.

[2]) De Sacken et Kenner, l. l., p. 167, no. 112; picturam melius descripsisse videtur Iahnius. Arch. Anzeiger, 1854, p. 445, quem secutus sum.

[3]) Benndorf, Griech. u. sicil. Vasenb., tab. 5, 6; cf. Jahrbuecher fuer Philol., 1884, p. 87.

[4]) Froehner, Deux Peintures de vases de Camiros, Par., 1871, tab. 2.

[5]) Burlington Fine Arts Club, Catalogue of Objects of Greek Ceramic Art, 1888, no. 49 (Froehner).

[6]) Mitteil. d. arch. Inst., athen. Abt., 1889. p. 42 sq.: cf. Ἐφημ. ἀρχ., 1883, p. 180.

[7]) Arch. Zeit., 1869, pp. 36, 10 et 115; 1873, p. 36; Froehner, Deux Peintures, p. 17.

Berol. 2260,[1])
Bilotti 193 (duo),[2])
Compiegnensis 1316,[3])
Dresdensis,[4])
Londin. C 74, fortasse idem vas quod olim Parentius possidebat,[5])
Parentii,[6])
Parisini duo in museo publico servati.[7])

Figurae in subalbida creta atro vel fusco vernice depictae sunt, et picturae omnes, paucis mutatis, inter se similes sunt. Figura ad dextram vadens (in vase altero ad sinistram ire dicitur) bracchiis extensis respicit; vestita est bracis latis, lorica (?), tunica manicata, plerumque etiam magno panno a bracchio sinistro dependente, munitaque securi (in uno fortasse sagitta), in exemplis quibusdam arcu et pharetra, in uno etiam pelta Praeter hanc figuram palma et plerumque ara vel sedile depictum est. In primo vase os Graeca forma extremis solum lineamentis descriptum est; in altero nonnulla fulvo colore sunt, et os, manus, pedes pigmento albo tincti esse dicuntur, quare Froehner figuram Amazonem esse demonstrari putat. At dubito num corpus omnino albo pigmento pictum sit; veri similius mihi videtur cretae colorem, extremis corporis lineis descriptis, ut saepius in similibus vasculis, superesse; nam mulier vel Amazon in tali pictura vix intelligi potest. Sed cum vas non viderim, pro certo hoc adfirmare non possum. In ceteris picturis figura sine dubio Aethiops est. Quae cum ita sint, reicienda videtur sententia Froehneri, qui omnes figuras pro Amazonibus habuit; neque verisimilia videntur

---

1) Arch. Zeit., 1873, p. 36.
2) Memoirs of the Egypt Exploration Fund, III (Naukratis), p. 51.
3) Froehner, l. l., p. 15 sq.
4) Arch. Anzeiger, 1889, p. 170.
5) Memoirs of the Egypt Fxploration Eund, III, l. l.
6) Froehner, l. l., p. 17.
7) Unus ex iis a Froehnero, l. l., p. 17 commemoratus est.

ea quae Heydemannus de Memnone ad eas explicandas protulit; rectius de tota re iudicavit Winnefeldius.[1]) Atque cum in plurimis picturis figurae viriles sint, non est, cur aliter de vase primo et altero statuamus; in quibus pictores traditam consuetudinem aliquid novaverunt, sed Amazones depingere noluisse videntur.

(δ) Vasa Attica rufis figuris severi generis ornata:

Amphorae: Londin. E 269 (790):[2]) figura, quae dicitur Amazonis, iuvenis sagittarius est, equitem in bellum secuturus; inscriptum es *≤EPAΓVE* [≤].

Londin. E 271 (793)[3]): figura Scythica veste praedita virilis est, ut e similium picturarum conparatione, in quibus iuvenis Scythes cum hoplita adparet, patet.

Calpis Clusina:[4]) miles ad sinistram versus et gladio se defendere conans inter duos equites, qui eum hastis premunt, humum cadit. Quos equites Inghiramius mitris, ut videtur, quas gerunt, ductus Amazones esse statuit. At cum unus eorum nudus sit, nisi quod parvam chlamydem habet, Amazones vix esse possunt; nam nuda Amazon inaudita est. Atque cum mitrae mirum in modum sine acuminibus factae et chlamydum formae suspiciosae videantur, nescio an figurae multis in partibus refectae sint.

*Olpa olim Hertzii:[5]) figura ea quae ocreis, scuto, securi

---

[1]) Froehner, l. l., p. 14 sqq.; Heydemann in Arch. Zeit., 1873, p. 35 sq.; Winnefeld in Mitteil. d. arch. Inst., athen. Abt., 1889, p. 41 sqq; cf. praeterea Memoirs of the Egypt Exploration Fund, III, l. l. Nuper de his picturis disputavit Bethe, Mitteil. d. arch. Inst., athen. Abt., 1890, p. 244 sqq., qui etiam exempla nova nonnulla, inter quae catillus est, adlegavit.

[2]) Olim principis Canino 1005.

[3]) Olim principis Canino 1182.

[4]) Inghirami, Museo Chiusino, tab. 60; Kluegmann., Ann. dell' Inst., 1867, p. 223, n., vas inter picturas pulchri generis recepit; quod e tabula vix recte se habere adparet

[5]) Catalogue of the Collection of Antiquities formed by B. Hertz, p. 119, no. 81; Catalogue of the Collection of Antiquities formed by B. Hertz, now the Property of J. Mayer, no. 807.

armata potionem viaticam a muliere accepit fortasse vir est; nam Amazon in tali pictura dubia videtur.

Cantharus Londin. E 801 (759):[1]) figurae Amazones non sunt; pelta enim, quam auriga habet, et crines longi alterius figurae ad viros pertinere possunt; ineptissimum autem esset, si, id quod explicatione usitata efficitur, Penthesilea hastam in amicam suam quadrigam regentem intenderet.

Catinus Berol. 2324:[2]) venantium figurae Amazones esse non videntur, neque similia inter Amazonum picturas reperiuntur.

Paterae: de patera quadam a Brygo facta nihil scimus nisi quod Gerhardus eam in interiore parte Amazones exhibere dicit.[3])

Durandi 392: figura quam de Wittius pro Amazone habuit iuvenis sagittarius esse videtur.

Durandi 393:[4]) figura quam de Wittius et Kleinius pro Amazone habuerunt sine dubio virilis est; nam Amazon virorum socia non ferenda est.

Monac. 370:[5]) pictura in interiore parte depicta viris doctis quibusdam ad Amazones referenda visa est. Sed figurae tam refectae esse videntur, ut fere nihil de pictura tota aut de singulis figuris adfirmare liceat.

---

[1]) Arch. Zeit., 1847 p. 154; Overbeck, Gall. her. Bildw., p. 497 sq.

[2]) Panofka, Bilder antiken Lebens, tab. 5,7; Arch. Zeit., 1879, p. 182; Klein, Griech. Vasen mit Meistersignaturen, p. 71, no. 77.

[3]) Gerhard, Auserl. Vasenb., 1, p. 217; Klein, l. l, p. 179, no. 2.

[4]) Klein, l. l., p. 112. no. 7; vas nunc in museo Britannico servatum est, atque in catalogo sub numero 842 recte describitur.

[5]) Gerhard, Trinkschalen u. Gefaesse, tab. C, 4–6; Réserve Etrusque, p. 30, no. 40; Arch. Anzeiger, 1847, p. 18*; Arch. Anzeiger, 1861, p. 161; Arch. Zeit., 1878, p. 31; Overbeck, Gall. her. Bildw., p. 502 sqq.; Zeitschr. fuer Altertumswissensch, 1850, p 293; Welcker, Der epische Cyclus, II, p. 171; ad idem vas videntur spectare ea quae de Wittius in Études sur les vases peints, p. 31 sq., et in Description des vases peints et des bronzes antiques de M. de M***, Par., 1839, p. 9 dicit. Hoc loco gratias amico meo Ernesto Richtero ago, qui et hoc et alia vasa Monacensia mihi inspexit.

Northamptoni:[1]) Furtwaengler figuras Amazones non esse dicit.

Fragmentum olim Luynesii[2]): figura cui nomen Loxias est sine dubio vir est.

Jam picturis collatis, priusquam ad quartum monumentorum genus veniamus, pauca de earum compositione dicenda sunt. Ac primum mirum quam parvam inventionis vim pictores exhibent. Neque enim aliud in omnibus fere picturis fecerunt, quam ut formas, quibus in viris pugnantibus, equitantibus, et q. s. r. ratam et constantem consuetudinem sequentes utebantur, albo pigmento adhibito, ad Amazones depingendas transferrent. In universum igitur Amazones in omnibus picturis, in quibus milites esse poterant, pro viris poni potuerunt, ut iam Petersenus de nonnullis picturis perspexit[3]). Et in vasis quae Herculis et Amazonum pugnam praebent picturae aliarum proeliorum picturarum simillimae sunt. In Antiopae autem raptu depingendo nescio an artifices paulo liberius invenerint.

Quod ad vestem Amazonum adtinet[4]), notandum est, quamvis fortasse nulla ratione explicari possit, in vasis atris figuris posterioris generis ornatis cassides earum fere semper altis cristis ornatas esse; in antiquissimo autem genere haud raro cristae humiliores sunt. Scythicam vero vestem Amazonibus pictores propterea adhibuerunt, quod Amazones regiones Ponticas, in quibus homines sic se vestiebant, secundum fabulas incolebant. Quod plerumque creditur hanc vestem ab antiquissima Amazones pingendi ratione abhorrere, id in universum verum est; sed exceptio est vas antiquissimi generis Campanae 1071 (cf. supra, p. 6). Recte etiam perspexit Peter-

---

[1]) Arch. Zeit., 1846, p. 342, no. 11; 1881, p. 302; Klein, l. l., p. 218.

[2]) Ann. dell' Inst., 1833, tab. A et p. 249 sq.; Stephani, Compte Rendu, 1866, p. 173.

[3]) Ann. dell' Inst., 1884, pp. 278, 283.

[4]) Cf. Ann. dell' Inst., 1884, p. 272 sqq.; Mitteil. d. arch. Inst., roem. Abt., 1887, p. 189.

senus Amazones Scythicum in modum armatas comites (Graecam armaturam gerentes plerumque habere, velut sagittarii Graeci una cum hopliti in pugnam ire solebant, atque, ut militibus levi armatura praeditis par est, in picturarum lateribus eas positas esse; quae lex non sine exceptiunculis est, velut vas Durandi 292, nisi forte refectum est, ubi Herculis adversaria Scythicam vestem habet (cf. supra, p. 19.). Eandem legem de equestribus Amazonibus saepissime valere, atque similes rationes sequentem pictorem vasis Vireeb. 126 (cf. supra, p. 71) Amazonibus quae circum currum stant armaturam Scythicam dedisse idem vir doctus perspexit. Ceterum in veste aliena depingenda parum adcurati in rebus singulis erant pictores; nam eis saepius satis erat [1]) insignem aliquam eius partem, velut mitram, indicare.

IV.

Restant, ut ad extremum illud veniamus, aereae equestrium Amazonum figurae nonnullae, quae aut in operculis aut in labris vasorum aereorum positae sunt. Quae vasa de Duhnius Cumis in antiqua Ionum colonia facta esse demonstravit; atque cum idem vir doctus de aetate eorum et de aliis quae ad hanc monumentorum classem pertinent scite disputaverit [2]), satis erit, Amazonum figuras enumerare.

Primum est vas Londiniense, in museo Britannico servatum [3]): in labro eius sunt quattuor figurae, quae in equis pedes priores altius levantibus sedent. Quas figuras de Duhnius primum pro viris, postea pro Amazonibus habuit. At cum duae earum mitras in cygnorum capita exeuntes habeant, aliarum autem galera sine ullo acumine sint, viros et Amazones hoc modo inter se distinguere artificem voluisse mani-

---

[1]) Ann. dell' Inst., 1874, p. 208.

[2]) Ann. dell' Inst., 1879, p. 116 sqq.; Mitteil. d. arch. Inst., roem. Abt., 1887, p. 269 sqq.; cf. praeterea Ann. dell' Inst., 1880, p 223 sqq.; Milchhoefer, Anfaenge der Kunst in Griechenland, p. 208 sqq.

[3]) Ann. dell' Inst., 1879, p. 136; 1880, p. 345 sq.; Semper, der Stil, II, p. 14.

festum est. Amazones, quarum crines breves sunt, mitras in cygnorum capita, ut iam diximus, exeuntes, et strictas vestes brevibus manicis praeditas, quae infra in bracas breves exeunt, indutae sunt; praeterea in pectoribus sinistris pharetras parvas habent. Manus sinistras extendentes, dextris prope pectora positis, quasi sagittam missurae se retrorsum convertunt. Inter eas duo viri similiter instructi, nisi quod mitrae aliter factae sunt, in Amazones ante eos fugientes sagittas missuri videntur. Quae Amazonum figurae Amazonis in vase Chalcidico Petropol. 54 (cf. supra, p. 79) depictae simillimae sunt, ita ut eodem ex fonte artifices quasi hausisse videantur.

Similes figuras quattuor habet labrum vasis Suessulae repertum [1]): omnes tunicas breves mitrasque indutae sunt, et sagittas mittere videntur; duae earum, ut supra, se convertunt. Atque cum veste nullo modo inter se distinguantur, artifex eas omnes Amazones esse voluisse videtur.

Sequitur vas alterum Londiniense, Capuae repertum [2]), in cuius operculo quattuor Amazones bracis, cingulis, vestibus manicis brevibus praeditis, mitris instructae et pharetras humero dextro gerentes lente equitant. Crines earum longi sunt. Una sinistra manu arcum extendit, dextra prope pectus posita, quasi sagittam modo miserit; altera arcum manu sinistra paratum tenens se convertit, et sagittam e pharetra promit; tertia etiam, quamvis se non convertat, sagittam e pharetra educit; quarta retro conversa sagittam in primam modo misisse videtur.

Quibus in duobus vasis mirum est id, quod Amazones inter se pugnare videntur. Neque verisimilis est, Minervinii sententia, qui eas cum hostibus non exsculptis dimicare putat [3]).

[1]) Mitteil. d. arch. Inst., roem. Abt., 1887, p. 243 sq.

[2]) Minervini, Monumenti inediti di Barone, tabb. AB et p. 117 sqq.; Mon. dell' Inst., V, tab 25; Ann. dell' Inst., 1851, tab. A et p. 36 sqq; 1879, p. 132; Journal des Savants, 1853, p. 470 sqq.; Arch. Anzeiger, 1855, p. 61*; Synopsis of the Contents of the British Museum, Bronze Room, p. 10.

[3]) Minervini, l. l., p. 119, et Ann. dell' Inst., 1851, p. 39.

Mihi quidem videntur artifices, cum in exemplari quod imitabantur duae Amazones et duo viri, velut supra in primo vase, essent, figurarum similitudine decepti quattuor Amazones errore quodam fecisse. Tertium autem vas aliis recentius esse e tota figuras fingendi ratione adparet.

Aliud vas Vindobonae servatum de Duhnius Amazones exhibere putat[1]). In labro duae Amazones (?) mitratae, laxatis habenis, equis feruntur; dextra habenas, sinistra scutum tenent. Inter eas sunt duae figurae, utraque in duas serpentes infra exeuntes, quae manus tamquam saxa iacturae levant (Gigantes?). At cum Amazones inter Gigantes poni non debeantur, dubito num figurae omnino Amazones sint; si recte iudicavit de Duhnius, solum ad vas ornandum, ratione Gigantum nulla habita, artificem eas adhibuisse credo.

Praeterea conplures Amazonum figurae similes, quae antiquitus in vasis sine dubio positae sunt, in museis servatae conmemorandae sunt. Quorum quattuor ad idem vas, ut videtur, pertinentes in museo Britannico extant[2]): in equis, qui pedes priores altius levant, sedentes, duae in rectum, duae retrorsum sagittas misisse videntur; de vestitu in singulis dubitari potest; nam figurarum superficies aliquid contrita est; vestes strictas, quae infra in bracas exeunt, et manicis brevibus praeditae esse videntur; praeterea mitras, balteos, fortasse etiam cingula gerunt; bracae dubitari potest utrum ad media femora an, id quod mihi veri similius videtur, (nisi forte lineae in duarum figurarum cruribus descriptae calceos indicant) paene ad talos descenderint.

Similis figura equo carens Berolini (7094) servata est: Amazon tunica brevibus manicis praedito, bracis perbrevibus, cingulo, mitra vestita, manum sinistram quasi arcum tenens extendit, dextra e pharetra in pectore sinistro sub humero posita sagittam extrahit.

---

[1]) Ann. dell' Inst., 1883, p. 187, n.; De Sacken et Kenner, Sammlungen des k. k. Muenz- und Antikencabinets, p. 269, no. 127.

[2]) Ann. dell' Inst, 1880, p. 347.

Aliam figuram similem Parisiis in nummotheca (3646) vidi: quae mitra et tunica perbrevi e texto gravi aliquo vel fortasse e pelle facta vestita, et in equo currente sedens sagittam missura respicit; sed cum tunica illa brevior sit, quam in femina exspectares, dubito utrum virum Scythicum an Amazonem facere artifex voluerit.

Ceterum tres figuras equestres in vase eiusdem generis a Winckelmanno commemorato [1]) positas parum recte ad Amazones retulisse Raoul-Rochettium id, quod duae earum in equis mulierum in modum sedent, satis demonstrat. Neque recte, Peterseno teste, figuras equestres, quae in opere aereo olim Castellanii pugnantes caelatae sunt, Amazones esse Furtwaengler putavit [2]).

Habes ea quae de Amazonum figuris antiquissimis reperire potui. Qua in quaestione si quid ad antiquitatem cognoscendam contulero, magno mihi gaudio erit.

---

[1]) Winckelmann, Werke, III, p. 216; Journal des Savants, 1853, p. 472; Ann. dell' Inst., 1879, p 133.

[2]) Berliner philologische Wochenschr., 1888, p. 1450; cf. Bonner Studien, p. 256, n. 20.

Addenda.

Inter Amazonum figuras e marmore exsculptas antiquissima, ut videtur, est statua nuper Romae reperta[1]), quam Petersenus a Chiis illis sculptoribus factam in aedis cuiusdam fastigio Romae olim positam fuisse credit. Quae res utut se habet, ad sextum saeculum referenda figura videtur. Desunt caput et bracchia, quorum sinistrum ex altero lapide factum erat, et crus sinistrum. Vestita est Amazon tunica brevi, mitra Scythica, cuius fragmentum super crinibus dependentibus adparet, praeterea pharetram olim lateri sinistro adfixam habuit; ac genu dextro nititur. Quam figuram Petersenus motum arcu nervum aptantis exhibere dicit. Sed mihi quidem, quamquam nihil pro certo, cum figuram non viderim, adfirmare velim, in tam antiqua statua id dubium videtur; atque eam, ut saepissime in vasis vidimus, ante Herculem cadere me iudice veri similius est.

Figurae parvae fragmentum Athenis servatum[2]) etiam ad Amazonem referendum videtur. Thorace munita scuto corpus tegit.

Praeterea duo vasa ad Amazones pertinentia nuper conmemoravit Kleinius[3]). Primum est hydria atris figuris ornata Urbibenti in museo publico servata: pictura in superiore parte posita Herculem exhibet gladio Amazonem percussurum, cui altera auxilium fert; prope illum est miles. In utraque parte Amazon et miles inter se pugnant. Altera pictura est in paterae rubris figuris ornatae parte interiore, cuius graphis in instituto archaelogico Romano est. Amazon veste Scythica, mitra corona ornata, pharetra instructa sagittam ad sinistram mittit; ante eam iacet altera Scythicum in modum vestita, cuius caput nudum et fascia ligatum ad sinistram retortum est.

[1]) Bull. della comm. arch. comunale, 1888, p. 416 sq.; Mitteil. d. arch. Inst., roem. Abteil., 1889, p. 86 sqq.

[2]) De Sybel, Catal. der Sculpturen zu Athen, no. 5070; Mitteil. d. arch. Inst., roem. Abteil., 1888, p. 285, n.

[3]) Klein, Griech. Vasen mit Lieblingsinschr., pp. 24, 43.

Appendices.

I.

Loci qui ad Cinaethonis de Hercule carmine pertinere videntur.

Schol. Apoll. Rhod. I, 1357: *ὅτι δὲ Κιανοὶ ὅμηρα ἔδοσαν Ἡρακλεῖ καὶ ὤμοσαν μὴ λήξειν ζητοῦντες Ὕλαν καὶ φροντίδα ἔχουσι Τραχινίων διὰ τὸ ἐκεῖσε κατοικισθῆναι ὑφ' Ἡρακλεῖ τοὺς ὁμηρεύσαντας, Κιναίθων ἱστορεῖ ἐν Ἡρακλείᾳ.*

Schol. Pind. Nem. III, 64 (cf. Tzetz. ad Lycoph. 1327):

Τελαμὼν ἀκόρητος ἀϋτῆς
ἡμετέροις ἑτάροισι φόως πρώτιστος ἔθηκεν
κτείνας ἀνδρολέτειραν ἀμώμητον Μελανίππην
αὐτοκασιγνήτην χρυσοζώνοιο ἀνάσσης.

Pind. Nem. III, 36 sqq.:

Λαομέδοντα δ' εὐρυσθενὴς
Τελαμὼν Ἰόλᾳ[1]) *παραστάτας ἐὼν ἔπερσεν·*
καί ποτε χαλκότοξον Ἀμαζόνων μετ' ἀλκὰν
ἕπετό οἱ.

Pind. Nem. IV, 25 sqq.:

σὺν ᾧ (scil. *Ἡρακλεῖ*) *ποτε Τροΐαν κραταιὸς Τελαμὼν*
πόρθησε καὶ Μέροπας
καὶ τὸν μέγαν πολεμιστὰν
ἔκπαγλον Ἀλκυονῆ.
οὐ τετραορίας γε πρὶν δυώδεκα πέτρῳ
ἥρωάς τ' ἐπεμβεβαῶτας ἱπποδάμους ἕλεν
δὶς τόσους.

Pind. Isth. V (VI), 27 sqq.:

τὸν (scil. *Τελαμῶνα*) *χαλκοχάρμαν ἐς πόλεμον*
ἄγε σὺν Τιρυνθίοισι πρόφρονα σύμμαχον ἐς Τροΐαν, ἥρωσι μόχθον.

---

[1]) Hoc nomen num ex antiquissimo fonte Pindarus hauserit, dubium videtur; nam neque in libris neque in vasis Iolaus Herculem contra Amazones proficiscentem comitari videtur, nisi figuram clava armatam quae in Amphora Monac. 567 (vide supra, p. 19) est pro Iolao habere vis.

Λαομεδοντειᾶν ὑπὲρ ἀμπλακιᾶν ἐν ναυσὶν Ἀλκμήνας τέκος.
εἷλε δὲ Περγαμίαν, πέφνεν δὲ σὺν κείνῳ Μερόπων
ἔθνεα, καὶ τὸν βουβόταν οὔρεϊ ἴσον
Φλέγραισιν εὑρὼν Ἀλκυονῆ σφετέρας οὐ φείσατο
χερσὶν βαρυφθόγγοιο νευρᾶς
Ἡρακλέης.

Pherecydis frag. 35: *Ἡρακλῆς ἀνακομιζόμενος μετὰ τὸ πορθῆσαι Τροίαν, γενόμενος κατὰ τὸ Αἰγαῖον πέλαγος βουλήσει Ἥρας σφοδρῷ συνεσχέθη χειμῶνι· κατασυρεὶς δὲ εἰς Κῶ τὴν Μεροπίδα, ἐκωλύθη ἐπιβῆναι τῆς νήσου ὑπὸ Εὐρυπύλου τοῦ Ποσειδῶνος, βασιλεύοντος αὐτῆς. βιασάμενος δὲ, καὶ ὡς ληστὴς ἐπιβάς, ἀνεῖλε τὸν Εὐρύπυλον καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ. μιγεὶς δὲ τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ Χαλκιόπῃ, Θέσσαλον ἐγέννησε.*

Apollod. II, 5, 9, 7—12 (cf. Tzetz. ad Lycoph., 1327): *καταπλεύσαντος δὲ εἰς τὸν ἐν Θεμισκύρᾳ λιμένα, παραγενομένης ὡς αὐτὸν Ἱππολύτης καὶ τίνος ἥκοι χάριν πυθομένης, καὶ δώσειν τὸν ζωστῆρα ὑπισχνουμένης, Ἥρα μιᾷ τῶν Ἀμαζόνων εἰκασθεῖσα τὸ πλῆθος ἐπεφοίτα, λεγοῦσα „τὴν βασιλίδα ἁρπάζουσιν οἱ προσελθόντες ξένοι“ αἱ δὲ μεθ' ὅπλων ἐπὶ τὴν ναῦν κατέθεον* (*σὺν ἵπποις*, ut picturae docent, ex antiquissimo fonte haustum non videtur). *ὡς δὲ εἶδεν αὐτὰς καθοπλισμένας Ἡρακλῆς, νομίσας ἐκ δόλου τοῦτο γενέσθαι, τὴν μὲν Ἱππολύτην κτείνας τὸν ζωστῆρα ἀφαιρεῖται, πρὸς δὲ τὰς λοιπὰς ἀγωνισάμενος ἀποπλεῖ, καὶ προσίσχει Τροίᾳ.*

συνεβεβήκει δέ τοτε κατὰ μῆνιν Ἀπόλλωνος καὶ Ποσειδῶνος ἀτυχεῖν τὴν πόλιν. Ἀπόλλων γὰρ καὶ Ποσειδῶν τὴν Λαομέδοντος ὕβριν πειρᾶσαι θέλοντες, εἰκασθέντες ἀνθρώποις ὑπέσχοντο ἐπὶ μισθῷ τειχιεῖν τὸ Πέργαμον. τοῖς δὲ τειχίσασι τὸν μισθὸν οὐκ ἀπεδίδου. διὰ τοῦτο Ἀπόλλων μὲν λοιμὸν ἔπεμψε. Ποσειδῶν δὲ κῆτος ἀναφερόμενον ὑπὸ πλημμυρίδος, ὃ τοὺς ἐν τῷ πεδίῳ συνήρπαζεν ἀνθρώπους. χρησμῶν δὲ λεγόντων ἀπαλλαγὴν ἔσεσθαι τῶν συμφορῶν, ἐὰν προθῇ Λαομέδων Ἡσιόνην τὴν θυγατέρα αὐτοῦ βορὰν τῷ κήτει, ὁ δὲ προύθηκε ταῖς πλησίον τῆς θαλάσσης πέτραις προσαρτήσας. ταύτην ἰδὼν ἐκκειμένην Ἡρακλῆς ὑπέσχετο σώσειν αὐτήν, εἰ τὰς ἵππους παρὰ Λαομέδοντος λήψεται ἃς Ζεὺς ποινὴν τῆς Γανυμήδους ἁρπαγῆς ἔδωκε. δώσειν δὲ Λαομέδοντος εἰπόντος, κτείνας τὸ κῆτος

Ἡσιόνην ἔσωσε. μὴ βουλομένου δὲ τὸν μισθὸν ἀποδοῦναι, πολεμήσειν Τροίαν ἀπειλήσας ἀνήχθη.

Apollod. II, 6, 4: — — — *ἐπὶ Ἴλιον ἔπλει πεντηκοντόροις ὀκτωκαίδεκα, συναθροίσας στρατὸν ἀνδρῶν ἀρίστων ἑκουσίως θελόντων στρατεύεσθαι· καταπλεύσας δὲ εἰς Ἴλιον τὴν μὲν τῶν νεῶν φυλακὴν Οἰκλεῖ κατέλιπεν, αὐτὸς δὲ μετὰ τῶν ἄλλων ἀριστέων ὥρμα ἐπὶ τὴν πόλιν. παραγενόμενος δὲ ἐπὶ τὰς ναῦς σὺν τῷ πλήθει Λαομέδων Οἰκλέα μὲν ἀπέκτεινε μαχόμενον, ἀπελαθεὶς δὲ ὑπὸ τῶν μετὰ Ἡρακλέους ἐπολιορκεῖτο. τῆς δὲ πολιορκίας ἐνεστώσης ῥήξας τὸ τεῖχος Τελαμὼν πρῶτος εἰσῆλθεν εἰς τὴν πόλιν, καὶ μετὰ τοῦτον Ἡρακλῆς. ὡς δὲ ἐθεάσατο Τελαμῶνα πρῶτον εἰσεληλυθότα, σπασάμενος τὸ ξίφος ἐπ᾽ αὐτὸν ᾔει, μηδένα θέλων ἑαυτοῦ κρείττονα νομίζεσθαι. συνιδὼν τοῦτο Τελαμὼν πλησίον λίθους κειμένους συνήθροιζε, τοῦ δὲ ἐρομένου τί πράττοι, βωμὸν εἶπεν Ἡρακλέους κατασκευάζειν καλλινίκου. ὁ δὲ ἐπαινέσας, ὡς εἷλε τὴν πόλιν, κατατοξεύσας Λαομέδοντα καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ χωρὶς Ποδάρκου, Τελαμῶνι ἀριστεῖον Ἡσιόνην τὴν Λαομέδοντος θυγατέρα δίδωσι, καὶ ταύτῃ συγχωρεῖ τῶν αἰχμαλώτων ὃν ἤθελεν ἄγεσθαι. τῆς δὲ αἱρουμένης τὸν ἀδελφὸν Ποδάρκην, ἔφη δεῖν πρῶτον αὐτὸν δοῦλον γενέσθαι, καὶ τότε τί ποτε δοῦσαν ἀντ᾽ αὐτοῦ λαβεῖν αὐτόν. ἡ δὲ πιπρασκομένου τὴν καλύπτραν ἀφελομένη τῆς κεφαλῆς ἀντέδωκεν· ὅθεν Ποδάρκης Πρίαμος ἐκλήθη.* Cf. Apollod. III, 12, 7, 3.

Apollod. II, 7, 1: *πλέοντος δὲ ἀπὸ Τροίας Ἡρακλέους Ἥρα χαλεποὺς ἔπεμψε χειμῶνας· ἐφ᾽ οἷς ἀγανακτήσας Ζεὺς ἐκρέμασεν αὐτὴν ἐξ Ὀλύμπου. προσέπλει δὲ Ἡρακλῆς τῇ Κῷ· καὶ νομίσαντες αὐτὸν οἱ Κῷοι ληστρικὸν ἄγειν στόλον, βάλλοντες λίθοις προσπλεῖν ἐκώλυον. ὁ δὲ βιασάμενος τὴν νύκτα εἷλε, καὶ τὸν βασιλέα Εὐρύπυλον, Ἀστυπαλαίας παῖδα καὶ Ποσειδῶνος, ἔκτεινεν, ἐτρώθη δὲ κατὰ τὴν μάχην Ἡρακλῆς ὑπὸ Χαλκώδοντος, καί Διὸς ἐξαρπάσαντος αὐτὸν οὐδὲν ἔπαθε. πορθήσας δὲ Κῶ ἧκε δι᾽ Ἀθηνᾶν εἰς Φλέγραν* — — —.

Tabula Farnesiana, pp. 69—70 (Jahn.): *Κίον τε ἔκτισε πόλιν Πολύφαμον βασιλέα ἐπιστάσας. Λαομέδοντι δὲ ἐβοάθησε θυγατέρα σώσας πολιορκομέναν ὑπὸ κήτεος, καὶ ἀπαταθεὶς Ἡρακλῆς ὑπὸ Λαομέδοντος εἰς Ἄργος ἀπελύθη. ἑσσάμενος δ᾽ ἐν Τίρυνθι τέμενος Ἐνυαλίου, μετὰ Τελαμῶνός τε καὶ Πηλέως καὶ Οἰκλέως ἐπὶ*

Τροίαν στρατευσάμενος εἷλεν τὰν πόλιν, Λαομέδοντα καὶ τοὺς υἱοὺς ἀποκτείνας πλὰν Πριάμου· Τελαμών τε Ἡσιόναν ἔλαβεν τὰν Πριάμου ἀδελφάν, ἐξ ἇς Τεῦκρον υἱὸν ἔθετο. ἐπανιὼν δ' Ἡρακλῆς[1]) *σὺν ὅπλοις Κῶ νᾶσον κατὰ κράτος ἔλαβε τὸν βασιλέα Εὐρύπυλον φονεύσας σὺν τοῖς υἱοῖς, καὶ καταγαγὼν Χαλκιόπαν ἐξ αὐτᾶς υἱὸν ἐγέννησε Θέσσαλον.*

Diod. Sic. IV, 32: — — — *ἐπὶ τὴν Τροίαν ἐστράτευσεν, ὡς μέν τινές φασι, ναυσὶ μακραῖς ὀκτὼ καὶ δέκα.* — — — *ὁ δ' οὖν Ἡρακλῆς καταπλεύσας εἰς τὴν Τρῳάδα αὐτὸς μὲν μετὰ τῶν ἀρίστων προῆγεν ἐπὶ τὴν πόλιν, ἐπὶ δὲ τῶν νεῶν κατέλιπεν ἡγεμόνα τὸν Ἀμφιαράου (Ἀντιφάτου?*[2]) *υἱὸν Οἰκλέα. Λαομέδων δέ, ἀπροσδοκήτου τῆς παρουσίας τῶν πολεμίων γενομένης, δύναμιν ἀξιόλογον συναγαγεῖν ἐξεκλείσθη διὰ τὴν ὀξύτητα τῶν καιρῶν· ἀθροίσας δὲ ὅσους ἐδύνατο, μετὰ τούτων ἦλθεν εἰς τὰς ναῦς, ἐλπίζων, εἰ ταύτας ἐμπρήσειε, τέλος ἐπιθήσειν τῷ πολέμῳ. τοῦ δὲ Οἰκλέους ἀπαντήσαντος, ὁ μὲν στρατηγὸς Οἰκλῆς ἔπεσεν.* — — — *ὁ δὲ Ἡρακλῆς ἐστεφάνωσε Τελαμῶνα ἀριστείοις, δοὺς αὐτῷ τὴν Λαομέδοντος θυγατέρα Ἡσιόνην. οὗτος γὰρ κατὰ τὴν πολιορκίαν πρῶτος βιασάμενος εἰσέπεσεν εἰς τὴν πόλιν* — — —.

II.

Index catalogorum.

Atheniensis: Collignon, Catalogue des vases peints du musée de la société archéologique d'Athènes, Par., 1878.

Berolinensis: Furtwaengler, Koenigliche Museen zu Berlin; Beschreibung der Vasensammlung, Berol., 1885.

Bononiensis: Cenni storici, relazioni, e cataloghi del museo civico di Bologna, Bonon., 1871.

Campanae: Cataloghi del museo Campana.

Principis Canino: Museum Etrusque de Lucien Bonaparte, Prince de Canino, Viterb., 1829.

[1]) Franzium sequor; cf. Jahn., Griech. Bilderchroniken, p. 70.

[2]) Bethe, Quaestiones Diodoreae Mythographae, p. 70, n. 82.

Carlsruhanus: Winnefeld, Grossherzogliche vereinigte Sammlungen zu Karlsruhe; Beschreibung der Vasensammlung, Carlsr., 1887.

Durandi: De Witte, Description des antiquités de M. E. Durand, Par., 1836.

Feolii: Campanari, Antichi Vasi dipinti delle collezione Feoli, Rom., (1837).

Jattae: Jatta, Catalogo del museo Jatta, Neapol., 1869.

Londiniensis: A Catalogue of the Greek and Etruscan Vases in the British Museum, Lond., 1851, 1870.

Lugduno-bataviensis: Janssen, De grieksche, romeinsche, en etrurische Monumenten van het Museum van Oudheden te Leyden, Lug. Batav., 1843 sqq.

Monacensis: Jahn, Beschreibung der Vasensammlung Koenig Ludwigs, Monac., 1854.

Neapolitanus: Heydemann, Die Vasensammlungen des Museo Nazionale zu Neapel, Berol., 1872.

Panckouckii: Dubois, Catalogue des vases Grecs formant la collection de M. C. L. F. Panckoucke, Par., s. a.

Paraveii: De Witte, Catalogue de la collection d'antiquités de feu M. Charles Paravey, Par., 1879.

Petropolitanus: Stephani, Die Vasensammlung der kaiserlichen Ermitage, Petropol., 1869.

Ravesteini; De Ravestein, Musée de Ravestein, Legiae, 1871.

Thorvaldseni: Lud. Mueller, Musée Thorvaldsen, Haun., 1847.

Virceburgensis: Urlichs, Verzeichniss der Antikensammlung der Universitaet Wuerzburg, II, Virzeb., 1872.

Alios libros quibus usus sum in adnotationibus collaudavi.

Corrigendum:

P. 37, l. 6, pro „vidimus“ legendum est „videbimus“.

Sententiae controversae.

I.

Ancillae, non nymphae, sunt figurae illae quae erant in Iovis Olympii templi versuris fastigii occidentalis.

II.

Plin. H. N. XXXIV, 54 (Phidiae opera enumerat): Verba alterum colossicon nudum ad unum ex illis figuris quae nunc Romae in monte Quirinale stant referenda sunt, ita ut iam Plinii aetate falsa illa inscriptio Opus Phidiae exstitisse videatur.

III.

Xenophontis Apologia Socratis genuina est.

Vita.

Natus sum Arthurus Deloraine Corey Maldeniae Massachusettensium idibus Aprilibus anno h. s. LXVI, patre Deloraine Pendre, matre Isabella e gente Holden, quos adhuc superstites esse vehementer gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis primum domi, deinde in scholis urbanis, praecipue in superiore schola, quae sub Caroli Augusti Danielsii auspiciis tunc florebat, imbutus sum. Tum auctumno anni 1881 universitatem adii Harvardianam, ubi, postquam unum fere annum valetudinis causa studia languescebant, gradus artium baccalaurei summa cum laude anno 1886 artiumque magistri anno 1887 adeptus sum. Deinde in Germaniam profectus auctumno anni 1887 inter cives academicos Berolinenses receptus sum, neque usque ad hunc diem almam matrem deserui.

Docuerunt me viri doctissimi Harvardiani: Allen, Bôcher, Cohn, W. Cook †, Croswell, Dyer, Fowler, Francke, Goodwin, Hall, A. S. Hill, Jackson, James, Lane, Lutz, Palmer, Parker, B. O. Pierce, Preble, Sheldon, Smith, Wendell, C. J. White, J. W. White: Berolinenses: Curtius, Diels, Furtwaengler, Graef, Kekulé, Kirchhoff, Koehler, Marx, Robert, Vahlen, Weiss, Zeller. Seminarii philologici Harvardiani sub Alleno et Smithio florentis per unum annum sodalis fui. Ad exercitationes archaeologicas Graef, Kekulé, Robert, ad epigraphicas Kirchhoff aditum benigne mihi permiserunt.

Gratias autem cum omnibus viris doctissimis quos enumeravi quam maximas ago, tum Dyero et Goodwino, studiorum meorum adiutoribus, deinde Dielesio, qui me *πάροικον ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ* primum recepit, denique Curtio et Roberto, qui me in hoc opusculo conficiendo consiliis adiuverunt. Neque Carolum Danielsium, praeceptorem dilectissimum, qui me admodum puerum in litteras Graecas primus introduxit, hoc loco praeterire velim.

Denique inde ab auctumno anni 1885 usque ad aestatem anni 1887 socius fui societatis rerum classicarum studiosorum Harvardianae; atque inde ab anno 1886 sodalitatis litterariae Americanae *ΦΒΚ* sodalis sum.

Typis expressit A. Haack, Berolini NW. 7., Dorotheenstr. 55.